




POLIDAMI
DE RE
MEDICA

1540









VALENTI-NI POLIDAMI ALIQVOT
nuper scripti libri de re medica,
cum copiosa doctrina &
eleganti sty-
lo.

I. N. G. A. Patavij
dono dedit Petrus
van Willigen
Rotterodamo-Batavus
Ph. & Med. Doct. &
Nationis Consiliarius
27 Augusti 1633.

Quorum Elenchus uersa pa-
gella continetur.

M. D. XL.

INDEX LI-
brorum.

VALENTINI POLIDAMI AD

ANDRAEAM DE VALENTINIS *Mutinensem, artium & medicinæ Doctorem excellentißimum, Sandomiriensem, & Trocensem præpositum, & Canonicum Cracouiensem, ac Sigismundi regis Poloniæ Physicum, de Pulsibus* LIBER.



ERIVCVNDAM adhortationem tuam, Andræa, artis medicæ doctissime uir, multis & magnis de caussis uehemẽter approbo. Nam & semper me monuisti, diligentissimeq; rogasti, & â studijs nostris nunquam abhorruisti, ut summa quidem frequentia, omniq; animi labore in eam disciplinam & doctrinam incumberem, quæ amplissimum fructum tyronibus, & glo

riam afferat. Hoc tibi gratius facere nihil potui, quàm quòd pulsum quum tanta diligentia, tum etiam summa fidelitate illustrauerim, ac conscripserim. Quantũ enim rudimentum existeret omnis ægritudinis uel cognoscendæ uel etiam iudicandæ, non mihi est dubium, quin ad unguem omnes studiosi medici legerint. Omnibus enim adolescentibus propono fructum quotidianæ lectionis ipsam perspicuitatem, qua nihil est utilius, præsertim in his libris, quibus copiose, ac sapienter pulsus declaratur. Nam & cum ratione, & cum experientia tanta pulsus subtilitas reperitur, quanta certè nunquam in omni genere optimarũ artium quum doctissimis, tùm præstantissimis hominibus putatur esse uisa. Pulsus aperit sanitatem, aperit ægritudinẽ, cuius miro præsagio eruditissimus quisque tot morbos quàm prudẽter, quàm uerè curat. Sunt, qui corruptum eius ac difficile iudicium ista sua negligentia, ignauia,

tia, ignauia, ruditate cumulatè reddide-
runt. Quapropter cauendos eos maio-
rem in modum docti uiri perſuadent,
atq; putant. Sed contigit tempus opta
tum mihi magis, quàm ſperatum, ut ui-
gilantiſſimo medicinę ſtudio mea imbe
cillitas ingenij floreſcere poſſet, & par
memoria honoris ſempiterni, & longe
clariſſima poſteritatis fama. Cogitaui
autem id, quod non modo honeſtum,
ſed ut etiam utile tota ſchola medicorũ
ſibi eſſe & fateretur & ſane cognoſce-
ret. Nec dubium eſt, quin doctiſſimus
Arabum Auicenna pulſum cognoſcen
dæ ægritudinis uerum præconem affir
met. Et latini græciq; ſcribunt, ſtudio-
ſis medicis nihil eſſe tam utile, aut tam
certum, quàm in omnibus tactibus pul-
ſuum, qui ad ægritudines pertineant,
documentum, teſtimonium, iudicium
perpetuum: quæ quidem iampridem
ita probata ſint, ita quotidiè probentur,
ut id grauiſſimis ſcriptorum teſtimo-

niijs unicuiq; lectori patere putem. Modo autem mihi hunc suscepi, ut potui diligentissimè, laborem pulsus. Planè id mi ANDRAEA habeto, quicquid possum mea arte efficere. His enim studijs & artibus utendum est, quæ magnis cōmodis, & utilitati, salutiq; consulere, conducere, seruire poterunt. Ad commoditatem autem adolescentum congregandam & colligendam summo studio polliceor me incumbere, nec frustra, ut arbitror, fiat. Sic enim quàm primum calamum attigerim, quàm cito mouerim, cogitaui semper, ut posteris possem quàm maximè esse utilis. Maximis autem occupatus negocijs non forsan ingeniosam pulsibus inuentionem, non perspicuam artificio concinnitatem, ac facilitatem feci. Si qua contigerunt non tam arte, quàm ingenio culpanda, ea cū fuerint & dura & indocta, curent & castiganda & polienda lectores omni diligentia, ac potius pietate, aut meliora

ædant,aut taceant. Itaq; doctiſſime & humaniſſime ANDRAEA,meam ſtru cturam artis medicæ fortaſſe leges,non illam quidem,qua poſſit elucere, ac debeat quidem id ornamentum,quod ora toriam ſcribendi copiam parit, nec eam ſuauitatem uiui ingenij deprehendes, quam tibi ſcriptorum ueterum ſolidus & cultus tenor, non barbarus affert. Quanquam non ſolum noſtris temporibus, ſed etiam priſcis multi & eruditi uiri aut copioſos,aut quidem utiles iudicio meo libros ſcripſerunt: tamen modica eorum elegantia ſermonis,modicum ſtyli ornamentum,modici flores orationis extant. Ego autem, qui omnibus meis ſtudijs,atq; omni uigilantia diuinã & præſtantiſſimam doctrinam eorum ſequor, ut pro uirili parte barbariem euitem, horridum & incultum ſtylum non patiar,quantum id imbecillitas ingenij cauere quidem poteſt: quod fieri tum uehementer ſtudeo, tum etiam ad

eum ipſum pulſum omne ſtudium, & omnem curam conuerto: qui uerò iuuenibus & ſenibus oſtendit, atq; proponit eximium & ſingulare decus in omni iudicio morborum, quod ad honeſtatem, & gloriam medici ſpectat. Hanc autem doctrinam uelim exiſtimes ueritatis habituram uim, non opinionis. Sic ego propter ſummam neceſſitatem, uel etiã honoris mei cauſſa, ea, quæ adoleſcentes plurimum delectant, & aſſidue docent, præſtare non deſinam: qui labor à me ſuſceptus eſt, impulſoribus dignitatis medicæ, in eo ego non modo ſatis ampliſſimi honoris, ſed etiã utilitatis perpetuæ cauſa uigilo, & defatigor. Fore tibi certè gratiſſimum arbitror quum propter coniunctiſſimam familiaritatem noſtram nominatim tibi hunc librum conſecrarim ad perpetuam poſteritatis memoriam.

In primis

IN primis descriptionem pulsuum ordiar, atque talem pulsum definiam, qualem ipse se ad cognitionem præbeat in omnibus minimis, maximis, mediocribusque ægritudinibus, qui unus est morborum uerissimus præco, & manifestissimus ex diastole ac sistole motus arteriæ iudicatur à sapientissimis uiris. qui potissimum cognitu perdifficilis est, quod tu minime ignoras, & peruenusta disputatio est de causis efficientibus pulsum, qui tribus principijs concurrentibus potissimum, corde, arteria, spiritu nascitur. Hæc igitur uerissimis & maximis rationibus ad omnem inchoandam sistolem & diastolem necessaria putantur, aut quàm præcipua sanè sunt, de quibus tam multa sunt testimonia doctissimorum hominum, tamque sublimes sententiæ, ut nihil cum subtilissima arte disiunctum, nihil alienũ habeatur. Vocabula autem diastoles & sistoles tantummodo, ut à medicis latinis intre-

pretatum eſt, proprie eleuationem, expanſionem, extenſionem, ac depreſſionem ſignificant, quibus uitale robur, & tonus cognoſcitur. Nam apud græcos diaſtoles, de qua nunc agimus, idipſum ſibi uult, quod apud latinos eleuatio, Siſtoles uerò depreſſio appellatur. Quid eſt enim plus medico opus, quid accuratius agendum, quàm quòd ſummam in pulſu habeat cautionem, ne ipſum tangat ſubito, temere, imprudenter, quod profecto æger optime liber ſit extra paſſionem, extra accidentia animi, ſcilicet quũ ira, gaudium, exercitiũ, triſtitia, timiditas, auaritia, magnanimitas, ſaturitas, fames, inedia, & ea, quæ ſunt his ſimilia, ad pulſuum mutationẽ rapiantur, nullamq; recuſent nec uarietatem, nec errorem. Non ſolum autem paſſiones animi conſiderentur ualde diligenter, ſed etiam accidentia corporis ad amuſſim ponderentur, cum quibus pulſus hominis omnino mutabilis eſſe

poſſet,

possent, eorumq; tum cognitio medicis necessaria est, tum experientia, quàm omnino persæpe nouerunt in corporibus ægris. Tandem potissimum licet scire, quis diceretur sexus, quæ esset hominum ætas uiuentium, quis motus melancholiæ, qui humor phlegmaticus, quæ forma complexionis, quæ furiosa conturbatio corporis, quæ cum omnibus deniq; ardoribus & flammis febres non tam acerbæ, quàm crudeles, atq; omnino plenæ angoris, conturbationis, afflictationis, facerent pulsum intemperantiæ, & ferrent, quibus rebus percussa cordis arteria dissidet in diastole, & sistole. Infixos autem oportet super pulsum arteriȩ digitos per interuallum temporis applicare summa industria, & pari ingenio tenere, quoniã quàm primum ille, & quàm sæpissime uideatur in uarietatem peruenire: nonnunquam in principio ipso magnus est, postea oboritur paruus & percipitur. Quis est enim, cui

non perſpicua illa decem pulſuum gene ra ſint, quæ pluribus, & magnificis uer= bis ab eruditiſſimis medicis polite, apte= que diſputantur, quanquam à peritiſſi= mo uiro Auicenna tantummodo ponã tur nouem, qui tamen recte, docte, lau= dabiliter diaſtolen & ſiſtolen cognitio nis magnas res, & neceſſarias cum præ= ſtantiſſima acrimonia ingenij conſidera re uoluit, quum etiam hæc in ſumma in= duſtria, & uaria differentia tum ſingu= latim, tum ſeparatim examinari poſſint. In quibus ego, dum ſublimi documẽto rum perſpicuitati conſulo, dum incredi bili adoleſcentum commoditati ſtudeo, dum noſtram doctrinam ab omni ob= ſcuritate diſiungi uolo, feci non temere: præſertim quum id conatus fuerim, ut ille quidem pulſus etiam in præclaram cognitionem poſſet illuſtrari. Primum igitur genus eſt, in quo magnitudo triũ dimenſionum ponderatur & quantitas ſecundum modum apparet. Secundum

genus

genus magno elogio cognoſcitur aper tiſſime ſecundum officium, & quantitatem motus. Tertium genus eſt, quod omnem uirtutis tenorem gignit, & con tinet. Quartum genus, in quo manifeſtiſſima ueritas conſiſtit organi. Quintum genus addit etiam illud, quod medi co certiſſimam quietis quantitatem ſemper oſtendit. Sextum genus tam mode ratam, tam ueram æqualitatem, ac horri diſſimam inæqualitatem, atq; diſiunctiſſimam efficit. Septimum genus in omnibus motibus uel ordinato, uel inordinato tactu mirabiliter gaudet, eumque obſeruat diligentiſſime. Octauum genus quid uacuum, quid plenum ſit, id radicitus cum manifeſtiſſimis ſignis docet. Nonum genus omni ictuum con ſenſione munitum eſt ſecundum proportionem, concordiamq; temporis ad tempus tam accurate, tam ſollicite cuſto dit. Decimum genus cum omni diligentia, atq; officio uni arteriarum quali

tati

tati coniungitur, cuius dumtaxat subli-
mes quidem species paulo post ualde fa
miliariter docebimus. Redeo nunc ad
primum genus etiam in documentis ue
ris declarandum, quod mihi quum ipsa
ueritate coniunctum uidetur, tum uero
etiam doctrina, atque fundamentis opti-
marum institutionum ad commoditatē
munitum. Quapropter illud quidem,
quod probatissimum studiosis uiris est,
in eam ueritatem enarrabimus, qua cum
diligentia, constantia, sapientia licet uti.
Illud profecto medicis compertum est
genus, sed multo magis secundum tres
dimensiones, quod mediusfidius suo in
citamento, suo cursu à longitudine,
& à latitudine conuenientissime, sapien-
tissimeque constituitur, & grauissime,
copiosissimeque à profunditate dijudi-
catur: quibus de causis sub se nouem
prorsus non tam simplices, quàm com-
positas pulsuum species habet, quorum
unus longus uerissime dicitur, alter ue
ro curtus

ro curtus lepide concinneq; deſcribitur: quorum alius medius, alius latus, alius ſtrictus, alius medius, alius magnus, alius paruus, alius medius, alius apertus, alius occultus, alius deniq; medius non ſolum teſtimonio, uerumetiã ueritate appellatur. Hos tyronibus pulſus tradam, ut potero diligẽtiſſime. Longus pulſus eſt ille quidem, qui cõtinuis, & apertis curſibus in longitudine quatuor digitorum pulpas ualde conſiderate, atq; appoſite excedit, & tantam ſpirituum multitudinem, & magnitudinem caloris naturalis ſignificat, quantam uix queo dicere, curtus enim pulſus, aut breuis æſtimatus eſt, qui haudquaquam in ſua fortitudine in quatuor digitos ſe modificari, atq; extendere poteſt, circa autẽ uiuaciſſimum cor defectionem ſpirituũ, paucitatem caloris, membrorum imbecillitatem, atrocem inuidiam, publicam & priuatam timiditatem, odia, præterea diſſidia, diſcordiam, triſtitiam, auaritiam quoquo

Longus

curtus et breuis

Medius quoquo modo significat. Medius uere ille ipse est, qui nec ultra, nec citra exordium, iudiciumq́ tenoris se detegit, iustum quoq; temperamenti examen defi nit. Latus pulsus certissimus testis est hu Latus mani uigoris, præterea coniunctus magno iudicio ueritatis, quæ quum ita sint, nemo dubitat, quin etiam ualidis uiribus, & conatu pari aut ad apicem quatuor digitorum, aut ad summitatem pro grediatur secundum omnem latitudinem. Insignem autem non modo humiditatem cordis, uerumetiam quàm iucundum hominem, quàm hilarẽ, quàm sanum, quàm liberalem non uulgariter ostendit. Strictus uero huic est contrarius, aut etiam appellatur, & signat nihil Strictus inquisitius, nihilq́ rectius, quàm publicam, atq; exploratam cordis siccitatem. Quid dicam de medio horum æquali, Medius qui puram, incorruptamq́ temperaturã cordis in occasione & humiditatis & siccitatis significat, Apertus enim forti- Apertus tudinis

tudinis index singularis disconuenientem, atque longam moram secundum Diastolen agit in illa superficie arteriæ, unde importunus, intempestiuus, insolitus & uidetur & sentitur, qui fortem & magnum calorem continuo quasi promere dicitur, Est enim eius aut æmulus aut aduersarius, non tam occultus, quàm profundus in sistole, Sistolem autem ita impendio opprimit & adigit, ut sursum satis diu non resilit aut fugit altitudinis gradum, aut cursum fortitudinis. Quapropter maiorem in modum, debilem uirtutem, ac redundantiam furoris cum summo defectu caloris designat. Medius horum neque perperam, neque peruerse ad id accommodatur, in quo pulsatilis uena semper sollicite & mediocriter repercutiatur, & non uulgarem temperiem calidæ & frigidæ naturæ quàm maxime aperit. Magnus est cui tãtum non desit, ut expleat id, quod exoptat, qui cum longitudini, tum latitudini, &

Occultus

Medius

Magnus

ni,&profunditati respondens,illis qua-tuor digitorum uentriculis occurrit. Prorsus quantam habet fortitudinem uirtutis, quem uigorem caloris efficit, & quantum instrumenti obsequium re cusat,etsi quodam modo ad naturalem competentiam declinat,quempiam pro digum,mobilem,instabilem,gloriæ cu-pidum significat & studiosum uanita-tis. Quid ualet si non naturalis est? si-gnat enim feruorem spirituum, accen-dit furoris impetum,concitat iracundi-am,assiduitatem laboris non recusat,cu mulat sanè gloriosam cogitationem, & uoluit. Paruus est enim ille à quibus-dam prudentissimis nominatus,qui nun quam æque,ac magnus extenditur, qui pariter admirabilem & insignem natu-ræ debilitatem profitetur, & quodam modo ex curto, & stricto, & occulto componitur. Medius pulsus hanc me-diocritatem facit,ut temperamẽtum uir tutis & caloris consensionem, & con-

cordiam

Paruus

Medius

cordiam organi tueatur. Secundum genus pulsuum est manifestum, utile, plenum documenti, necessarium planè indicium, & quū quidē ex motiōis quantitate, aut tum ex arteria cognoscitur, Cuius tres sunt apertissimę species, sic prorsus, ut tales apud scriptores quàm sæpissime legerentur, Scilicet qualis pulsus, aut citus, aut lentus, aut mediocris appellatur. Citus est, qui suis cursibus non unis, sed pluribus in breui tempore multos ictus facit, uel is multiplex & uehemens est, qui cum uelocem, tum peragilem & in omni causa motus præsentem diastolem ac sistolen ostēdit, uel magnificus, ac excellens est, qui perexiguo tempore maximum spatium, ita fortiter, excellenterq́ꝫ pertransit, ut quum per quosdam & literatos, & sapientes uiros pręco à celeritate probatus diceretur, Non enim solum dominatum caloris, uerumetiam continuam fortitudinem spirituum inspirantium designat. Lentus est, qui citus lentus

persæpe paucissimos ictus longo tempore perficeret, Signat permagnum frigiditatis imperium, & maximi periculi. Idem pulsus in suis cursibus suaq; natura nobis uermiculosus censendus, atque æstimandus est. Pulsus mediocris ea semper temperantia coniunctus est, quod non modo perpetuam in caliditate, sed etiam in frigiditate temperiem habet. Tertium genus medicis notum est secundum tenorem uirtutis, & præter noticiam, ualde etiam familiare, ex quo oriuntur tres species, ut fortis, debilis, medius, Fortis enim est, qui ut præstantissimis suis uiribus omnino quatuor uentriculos digitorum constanter, recte, laudabiliter replere uideretur, quum singularem fortitudinē uirtutis, & summam agilitatem instrumenti significaret. Debilis est, qui pulpas digitorum debilissimo cursu, non modo percutit, uerum etiam propinquum, atq; non fallax iudicium mortis, atq; supremam debilitatem

Mediocris

fortis

Debilis

bilitatem uirtutis, & immensam discordiam instrumenti designat. Hosce enim inter duos semper lepidam, & iucũdam temperantiam medius seruat, qua nihil rectius, nihil potest esse laudabilius. Quartum genus apertissimam definitionem ipsam, quam substantiam, seu consistentiam organi uocant, totam conseruat, & ostendit, quæ in primis magis atque magis ad duritiem, & ad molliciem attinet, quod quum magnas, & mutuas tres differentias contineat, è quibus pulsus aut durus aut mollis, aut moderatus pullulat. Durus pulsus non sine magna, iustaq; causa ex intemperantia obortus dicitur, in quo & durities, & siccitas, & asperitas, etiam rigiditas motus præsto est, & patet in superficie organi, & sentitur, qui immensam etiam huc atq; illuc siccitatem instrumẽti enotat. Hoc idem pulsus serratus non solum ostendit, uerumetiam præstat, & confirmat. At mollis is dici potest, in quo contra sanitatem

Durus

Mollis

non minor mollitudo, quàm pernicies intelligitur. Sic enim in eo ſuperuacanea non modo, ſed etiam praua humiditas cum abundanti malicia inſtrumenti deſignatur, Facillime uero horum ad ſummam temperiem medius de uicioſa humiditate, ac ſuperflua ſiccitate uergit. Quintum genus tam mora, quàm ſpacio coniunctiſſimam continet quantitatem quietis, & has habet ſpecies, E quibus & ſpiſſus & rarus, & ſimul mediocris fit in maximo teſtimonio ueritatis,

Spissus Quod ita ſpiſſus pulſus, non moderatam, non temperatam, non certam ſine intermiſſione pulſationem habet, ac ſi nullum interuallum, nulla differentia, nulla uerſura, nullum ſignum, nulla quies & inter diaſtolen, ac ſiſtolen præſto eſſet, & prædicaretur, Notat autem planè magnum calorem, ac ruinam uirtutis ex magnitudine caloris.

Rarus Sentitur enim rarus ex eo interuallo, quod eſt ex omni curriculorum motu rariſſimum,

& ſicut

& ſicut ne cum difficili, & magna tardi tate uniuerſam ſemitam ſpiritus pulſat, commouet, ferit: Significat autem frequentem caloris deiectionem, uirtutis uero frequentiſſimam. Medius autem horum appoſitam, atq; inſignem temperaturam inter utrunq; facit. Sextum pulſuum genus cum ueriſſima cognitione conſiderare æqualitatem, & inæqualitatem inſinuat, eius poteſtas, uirtusq; duas ſpecies ſcilicet æqualem & inæqualem pulſum habet, quorum motionem conſidero non minori ſtudio, quàm ſi rem ueram conſiderarem. Sic enim pulſus æqualis eſt, qui ita æquali magnitudine, uel ita paruitate, uel ita fortitudine, uel ita debilitate, uelocitate, tarditate, ſpiſſitudine, raritate, duritie, mollitie, tantopere procedit, ut tantummodo proprijs, & ſempiternis teſtimonijs naturæ temperamentum deſignat, Inæqualis eſt, qui quidem per oppoſitum & fit, & concurrit, Cuius percuſſio modo magna, mo-

Medius

Æqualis

Inæqualis

Inæqualis aliæ species sub se continet.

do parua,modo apprime debilis ſenti-
tur.Omnes enim ſub inæquali,naturam
uimq́ illæ ipſę ſpecies obtinent,ut ramo
ſus,ut undoſus,ut formicans, ut uermi-
culoſus,ut ſerrinus,ut capriſans,ut ſpa-
ſmoſus,quorum explicatio intemperan
tiam,& enodatio inæqualitatem ſignifi
cat. Septimum genus ſummum argu-
mentum eſt,non tam recti, quàm oppo
ſiti ordinis, & præterea tum ordinariũ,
tum extra ordinarium pulſum obſer-
uat,& facit. Ordinarius enim pulſus,
uel potius ordinatus uocatur, qui ſua
ſponte ſtabilem,firmum,perpetuum or
dinem in omni numero percuſſionum
continuo & penitus ſeruat, quoad natu
ra eius,iuſtitiaq́ patiatur, aut ſimul ſuis
proceſſibus pondus iuſtum liberaliſſi-
me tractat.Si igitur eſt in principio ma-
gnus,continuo eſt magnus, ſi paruus,
continuo eſt paruus. Inordinatus uero
ſecundum robur in perditis, & deſpera
tis uiribus,magnas duas percuſſiones fa
cit,&

Ordinatus

Inordinatus

cit, & duas paruas, ut potissimum nequaquam iusti processus seriem seruet: quo magis omnibus opprimendis uiribus impeditam naturam esse prædicat. Nec uero id quiuis bonarum literarum semper cultor, sed etiam rerum medicarum amplificator affirmat, ut pulsus Caprisans, quod barbare dicitur, & bispulsans, & inæqualis generis, huius significatum, proprie, uere, dilucide sibi uendicent, & occupent. Octauum genus prorsus continet apertissime uacuum, plenum, & medium, quos pulsus ea ratione monstrat, atque tradit, quæ potest esse uerissima. Plenus pulsus notissimus est, præsertim cum quasi turgidus ob humiditatem, plurimis, & paribus indicijs uideretur, ut nullum dubiũ sit, quin iustissimis de causis magnam copiam declaret sanguinis. Vacuus pulsus, qui percutiendis arterijs reperitur, ita perpetuum defectum significat, ut nihil possit esse certius. Si duo hi pulsus ita sese ha-

Plenus

Vacuus

 beant,

beant,ſic non dubitandum eſt, quin me dius uniuerſum medium tenorem ſtudi oſiſſime obtineat. Nonum pulſuum genus colit percuſſionum concordiam, pro ſuo in ueritatem teſtimonio, quam penitus habet temporis ad tempus, & quaſi pro ſuo iure duas ſpecies occupat, ut eſt incidens & decidens, Nam incidens eſt, ſi Diaſtoles fortior, ſi potentior, ſi maior eſſe ſiſtole uideatur, Quoniam omni officio & ſtudio augmentũ uirtutis, aut nõ tam in quiete, quàm in motu temporis ad tempus notat, Decidens eſt, cuius cum ſecundum Siſtolen multo tardior, & multo longior mora interior ſit, omnem uirtutis defectum innuit, Aut appellatur etiam decidens, quando diſproportio temporis ad tempus, id eſt, quietis & motus apparet. Decimum genus ſequitur, in quo cognitio & quaſi quædam arteriarum qualitas, & intemperantia, omnisq; perturbatio ægritudinum, & motus uarietatis cernitur

Incidens

Decidens

cernitur, & hasce tres differentias continet, in quibus uel cōsistit maxime, quòd calidum, frigidum, & medium sit. Calidus autem pulsus dicitur, quum arteria præ tanto calore uix tangi digitorum pulpis potest, ut in Causone reperitur, atq; in acerbissimis doloribus, & quasi ad mortem fluctibus, sanguinis multitudinem, & caloris exuperantiam, & frequentiam spirituum explicat. Frigidus in eo quidem dicitur, in quo comperitur frigiditas, aut quasi cognitus defectus sanguinis, aut uirtutis, aut spirituū apparet. Ex hoc igitur quodam constāti fortiq; significatu omnis extinctio caloris naturalis, atq; mortificatio spirituum manat. Medius eam caliditatem, & frigiditatem habet, ut utriq; responderе in temperamento queat. Itaq; non solum in hac parte pulsus, de qua hoc loco animaduertendum, & differendum est, sed etiam in sequētibus præceptis, quid oporteat, doceatur. Nam & omnino, quæ

Calidus

frigidus

In iudicio pulsuum duo instrumenta

quæ iudicio pulſuum ægent, duo inſtrumenta ſint, quorum primus ſenſus nec quicquam aliud, quàm aut ſingula, aut uniuerſa præſentia indicat: Alter eſt intellectus, qui in primis omnia præterita, & futura prænoſcit. Quum hæc autem interpretanda, nec ieiune, nec frigide, nec friuolis argumentis pulſuum decem genera ſint, quid igitur unumquodq; genus ſit, quid quoq; eorum tam naturale, quàm non naturale, quod primum ad ſapienter diſſerendum annitimur, aut quæ eorum propria ſignificatio, atq; inueſtigatio æqualiter extat ineſſe, quorũ conditiones quinq; à medicis, & acutiſſime & copioſiſſime conſiderantur. Ex quo intelligitur, quod in membris humanis, humiditas ipſa triplex ſit, Scilicet, Ros, Cambium, quod ita medici appellant, ac glutinum, quæ quidem naturæ hominis aptiſſima eſſe dicuntur. Nam in quodam magno incommodo, detrimento, moleſtia, omnis æthica

humiditas membrorum triplex.

infirmitas

infirmitas scatet à tribus specibus, quarum una sit ex consumptione roris, altera ex consumptione Cambij, tertia ex consumptiõe glutini. Sed idipsum multifariam notandum sit, quod doctissimo uiro Auicennæ placet. Quanquã ut consumptio sit æthica in unoquoque corpore senectutis, constat tamen non eam febrem esse ex occasiõe senectutis, quæ est in hominum omni genere tristissima, Hoc enim uitium ætatis est, quę aut manifesta consumptione, aut macie tristes, aut decrepitos senes facit sine febre uiuere, magnus enim pulsus est. Cuius ne consentaneum in tribus dimẽsionibus argumentum comprobatur: si cursu, & gressu naturalem uirtutem colit. Primum à motu fortitudinem, uel quandam abundantiam impellentis spiritus arteriam, uel potẽs caloris, uel multiplex imperium, obedientiam, & mollitiem organi, uel distensionis, uel dilatationis uiuacitatẽ, Deinde mortales prodigos,

digos, & inconſtantiã animi, & liberius temeritatem, & leuitatem quoquo modo repræſentat. Hoc igitur in pulſu conſiderandum eſt, quibus modis facilitatem motus caliditas, ad complexionis qualitatem, & ad cordis habitudinem, & ad motionem ſpirituum allicere, atq; ex citare poſſit. Quapropter in magnificis, & uarijs rebus motus eius cupiditatem honoris, & gloriæ magnam ſpem, liberam operum non ſane perficiendorum aggreſſionem, impudentem archanorum reuelationem, atq; omnem caloris innati uirtutem ſibi uendicat. Id profecto ob immẽſum cordis dominatum in hominibus ſtaturæ breuis quodam modo palam fieri ſolet, in quo quia propinqua non ſolum ratio cordis agitat celerem curſum ſpirituum, uerum etiam imperium cerebri cumulatiſſime excitat: Quamobrem hoc notandum documentum non ignauum, atq; abiectum ſit, quod iſtæ eædem ſignificatiões mul

to ue-

to uerius magno pulſui, quàm aperto attribuendæ ſunt, quia omnis pulſus poteſt eſſe apertus, ſed neutiquam, ut magnus. Paruus uero pulſus in contrarias partes mouetur, Quapropter non naturalis eius quū in corporibus debilitandis, tum etiam ægrotandis, ut experientiam habemus, maximum pondus humoris malicioſi, & febrilis, feruorem ſpirituum, aſſiduitatem laboris, immoderatam uenerem, incredibile exercitium, iracundiæ furorem, cognitum incendium multis modis ſignificat. Fortis pulſus eſt, ex magno, & ueloci compoſitus, quum ordinatim, atq; apte naturalis ſit, excelſam, atq; inuictam naturalis uirtutis fortitudinem, ſpirituū hilaritatem, obſequium arteriæ omnino explanat. Pulſus enim debilis contrarius eſſe dicitur, qui uigore uacat, quum naturalis eius infirmitatem naturalis uirtutis, diſpēdium ſpirituum, nullum obſequium arteriæ maiorem in modum euulgat. Quum

pulſus

pulſus proprie, uerè, laudabiliter naturalis ſit, de hominibus maxime ſanis loquitur. Velox autem ſolet cum feſtinata cordis dilatatione fieri. Hæc uis eſt huius pulſus naturalis, & huius tenoris, in quo primum furor cordis, Deinde ſine ulla pręmeditatione uolubilitas linguæ, & feſtinatio uocis patet in publicam uim cognitionis. Sed pulſus eius præter naturam nihil aliud, niſi magnitudinem caloris febrilis accendi circa cor ſignificat. Diſputandum eſt autem, quod ſemper cõtrarias tardus pulſus ueloci ſignificationes, infeſtasq; ſententias fouet, & habet, Quippe qui ut naturalis in ſuis curſibus, progreſſionibus, tenoribusq; cumulate reſpõdeat naturali. Ille autem eſt innaturalis, qui ſua diſcordia, & toto motu reſpõdet innaturali, Durus enim pulſus ſuper digitos percipitur in dura arteriarum pulſatione, qui ut naturalis, ſine aliqua dubitatione, tum duriciem, tum ſiccitatem arterię, tum uigorem cordis,

dis, præterea ariditatem humoris, & tam multam mentis seueritatem, atque alia eiusmodi significat. Quocirca eius mollis in omni re est contrarius. Pulsus autem præter naturam durus ita est, ita & inuentus, ut eius significatio periculosam pleuresim, cholericam materiæ ariditatem, & multitudinem, insignem dissoluendi difficultatem humoris, longũ morbi interuallum, oppressionem uirtutis, naturæ lassitudinem, & totius fastidium uitæ, ac tædiũ exponit, Mollis secundum naturam nonne cordis molliciem, & arteriarum? nonne humidam cõplexionem? nonne muliebrem mẽtem? considerationem, uigorem annunciat? qui cum non naturalis, admirandam quandam, uel dissolutiõem humorum, uel relaxationem arteriarum, indicare potest. Vacuus enim pulsus est, si ualde digito, si ultro si citro cedat. Num indigentiam sanguinis? num consumptionẽ humiditatis? num defectionem spirituũ

durum efficat

Mollem exponit

Vacuus quid significet

indicat? Calidus pulsus quis, & qualis, qui tanquam nisi è uiciosa caliditate oritur, qui continuo etiã mordax est, quod ita continuam, acutam, interpollatam febrem notat. Vacuus pulsus consumptionem nimiam corporis fert, quam tum passionem, tum afflictionem æthicam dicimus. Frigidus contrarius dicitur, hinc defectus spirituum, hinc extinctio caloris naturalis, hinc suffocatio non inspirationis solum, uerumetiam expirationis satis euulgatur. Spissus, siue frequens fit ex summa frequẽtia, summaq́; dilatatione cordis, quibus rebus perspici possit, qualis sit, & propter quam fortitudinem, & uehementiam caloris naturalis, aut propter quam debilitatem, et frigiditatem attrahentis uirtutis, aut propter quam indigentiam suscipiẽtis membri dicitur, & fit. Rarus autem contrarius appellatur, quum propter apertam, & simplicem defectionem uirtutis. Decidens quemadmodum fit, ita ex forti

percussione

percussione incipitur, & tantum uergit in occultum, quantum fragilitas, pernicies'q; patiatur. Varijs autem rationibus hanc debilitatem uirtutis, hanc corruptionem caloris, hanc terminationem uitæ commonstrat. Contra incidẽs significat reparationem non tam uitæ, quàm uirtutis, aut constantem expulsionem malæ materiæ, aut gloriosam naturæ uictoriam. Pulsus autem æqualis multis de causis proprio temperamento perspectus, & cognitus est, qui conuenientem semper suam constantiam, integram'q; proportionem, ac liberam progressionem sat per longum tempus seruat. Quippe hic pulsus aut prospera hominum ualetudine, aut excellentis uigoris indicio, atq; fœlicitate, aut ualde saluo corpore, ac salubri ornatus, & laudabilis spacium etiam uiuendi habet, ac simul copiosam spem, optimã'q; fidem incolumitatis fouet, & dat ordinarius, qui satis, super'q; laudabilis in acerbissimo dolore, crucia

Incidẽs

Æqualis

tuq́ꝫ ægritudinis dicitur. Contraq́ꝫ inæqualis non modo uituperandus in ipſa hominum ſanitate eſt, ſed quiuis etiam extraordinarius peſtifer eſt. Quare quoniam ſignificationes pulſus æqualis, & inæqualis, ordinati & inordinati dumtaxat eædem dicuntur eſſe, Quod præſertim eos nequaquam conuenire in ſe, ſed tantummodo in ſuis ſpeciebus uidemus, quæ ſubſequuntur in aduerſa ualetudine, Dubitandum nũquam eſt, quin ordinatus pulſus ſtatum rectum, atq́ꝫ abſolutum gradum agnitiōis ſeruet. Quũ autem palam ita diſſerendum eſt, ut antequam de prædictis ſpeciebus tum copioſe, tum non ſimulate diſputemus, Quod longus pulſus, & latus ſunt, qui imperium ſanguinis, quod omnium amplisſimum eſt, ſignificant. Quid enim longus? quid ſtrictus? niſi notiſſimam abundantiam quandam choleræ declarant? Quid curtus? quid latus? niſi copiam, tranſgreſſionem, multitudinem phlegmatis?

phlegmatis? quid curtus? quid ſtrictus? niſi cum admirabili teſtimonio copioſum melancholiæ principium. Longus uero naturalis dicitur, qualis proprium uigorem habet, aut congruum, aut debitum regimen ſpirituũ producit, aut ualidum parturit calorem, aut non modo prodigum hominem, ſed etiam omnia ea ſignificat, quæ calorem magnificum, & perpetuũ incendium ſequuntur. Nominatur aũt præter naturam pulſus, qui non minus caloris exceſſum, quàm lapſum in corporibus, & uiſceribus complexionis humanæ commonſtrat. Pulſus enim latus eſt naturalis, qui magnã humiditatem cordis, tum ſegniciem, pigritiam, inertiam corporis, tum ſummiſſum, humilẽ, flexilem, mollem, effœminatum, fractũ, abiectumq; animum deſignat. Eſt enim non naturalis, qui aut prauos, malos, corruptos humores, aut arteriarum humectationem aut reſolutionem membrorum ſignificat. Vnuſ-

Curtus, Strictus.

Longus naturalis.

Præter naturam

latus naturalis

Non naturalis.

Occultus quisq; occultus pulsus naturalis admirabilem archanorum celationem, summã caloris naturalis, & immensam debilitatem, importunitatem arteriarum ad motum, & dissensionem, in primisq; animi oppressionem, imbecillitatem naturæ, spiritus debilitatem quoquo modo ostẽdit. Innaturalis uero defectionem non sanitati solum infestam, sed etiam inimicam corruptionem naturalis uirtutis enotat, pulsus enim curtus, naturalis, ab

Curtus lationem, cupiditatem, rapacitatem, magnanimitatem, timiditatem, inuidẽtiam, auariciam, obtrectationem, frigiditatem cordis, spirituum debilitatem, & ea, quæ his similia sunt, omnia repræsentat. Curtus enim præter naturam pulsus perpetuam & uirtutis, & spirituum defectionem in omnibus conditionibus manifestat, & docet. Pulsus enim aut gracilis,

Gracilis aut subtilis naturalis cum recondita quadam ratione, maximam constantiam, et siccitatem cordis designat. In primis uero non

ro non

ro non naturalis aut contumaciam uolũ tatis, aut ariditatem corporis aut cõsum ptionem caloris naturalis significat, Pulsus, qui uulgo appellatur cauda sorici- na retornatiua, aliquando uix à sensibi- libus percussionibus organi, quam arte riam uocamus, & gradatim ascen- dere in excelsum, & placidum cursum uideatur. Is igitur uerax, & constans sine metu, sine naufragio, sine iactura ul- la, sine pernicie, nonne instaurationem uirium, & uitã naturæ, & salutẽ ægroti significat? Nihil enim pulsus, quam cau dam muris finitimam uocant, par & æ- quale procreare potest, nihil certius ha- bet, nihil, quod magis significat, q̃ incon stãtiam, q̃ inęqualitatẽ, q̃ inordinationẽ, q̃ mortẽ futuram, Isti quidẽ pulsui ramo sus, spasmosus, phtisicus, caprisans, for micans, uermiculosus, & cæteri eiusmo- di congruũt in percussionibus, quos ita doctissimi medici usurpare atq; appella re solent, Quisq; enĩ caprisans pulsus est,

Cauda sori- cina.

Castrizans qui uacare celeritate non poſſit, Inchoato enim celeritatis motu, quàm primum unam percuſſiõem in digito aliquo abſoluerit, alteram haudquaꝗ cunctatur moliri, & reddere. Hic autem naturalis infirmitatem uitalis ſpiritus, duriciem arteriæ, hebetudinem ſenſus, præcipitationem ſermonis, linguæ titubationem, & ea, quę ſunt de eodem genere, & alia plura ſignificare uidetur. Conſideramus enim pulſum malleo reſiliẽti comparationem, ſimilitudinem, indicia omnia, attribuentem illum eſſe, quem plærique martellinum appellant. Quum is profecto pulſus, omni curſu, atq; officio conſiderandus ſit, qui in hanc prope ſuper incudem mallei ſimilitudinem cum ſuis percuſſionibus concordatur. Ideo ne cadit in diuerſas, & ſequentes percuſſiões? Et inconſtans ne, ac uarius ſit? qui profecto non ſecus, quàm in quadam incudis duricie par mallei percuſſio ſit, & iudicatur docte, recte, ſapienter. Hoc eſt,

Malleus .i. Martellinus

antequam

antequam ad eum finem ueniat, qui dici
tur proprie centrum, Cur igitur primũ
ut ſuperabũdans ex percuſſiõe ſpiritus,
deinde ut magnanimus, & ſiccus & cõ
tumax ex duritie organi bis digitos at-
tingere uidetur. Summa autem differen differentia
tia inter capriſantem, & inter martelli- Martellini
num, & ſentitur, & inuenitur. Quia ſpi- et caprisantis
ritus in capriſante non tantæ percuſſio-
nis eſt, quãtæ uidetur in martellino eſſe.
Quòd ſi pulſus ſecundum naturam prę
ſens ſit: Omnem ne magnitudinem ſpiri
tus: ariditatem cordis: arrogantiam mẽ-
tis: & ſuperbiam in aſpectum: in lucem,
in propatulum, diligentiſſime defert:
Non autem naturalis, cuius breue, & nõ
difficile interpretamentum eſt, non mo-
do inflammationem, atque incendium
cordis, uerumetiam defectionem humo
rum, & quandam eorum deſiccationem
enotat, quemadmodum in acutis febri-
bus fit, Ramoſus uero nec quidquam Ramosus
aliud eſt pulſus, quàm in ramos diuiſus,

Quare, quoniam talem concurſum, per
petuam uarietatem, omnem mutabilita-
tem, ſicuti quidem tum ipſe ſoricinus,
tum inordinatus, tum diſcors re ipſa
oſtendit. Porro idem pulſus, quum natu
ralis ſit, non modo ampliſſimam cordis
inſtantiam, uerum etiã mobilitatem in-
enarrabilem ipſius uoluntatis quidem
oſtendit. Quum enim non naturalis ſit,
morborum diuerſitatem, dolorum ab-
undantiam, mirificam humorum repug
nantiam, futuram corporum ualetudi-
nem, ſummam uictoriam naturæ etiam
atq; etiam demonſtrat, fluctuans tantis
argumentis, & interprætamentis deſcri
ptus, quem & undoſum, & æſtuoſum
nuncupant, per appoſitos digitos, aut
ad leuam, aut ad dextram, aut ſurſum
aut deorſum, modo huc, modo illuc ua
gatur, mouetur, diſcurrit, qui quum in-
natum, & inſitum tenorem agat, & con
formet, Et uagabundam in agendis ne-
gocijs uoluntatem, & in adminiſtrando
conſilio

conſilio mutabilitatem, & in omni re & officijs inconſtantiam non tam cordis, quàm mentis declarat. Non uero naturalis, uel tam ſubitam iram, uel triſtitiã, uel uberrimum, ſi quid etiam hoc ad rẽ pertinet, curſum in turbato corpore, & motum humoris euulgat. Spaſmoſus autem tantam corporis parare inanitatẽ poteſt, ut ob iſtam nimiam tenuitatem, aut ob iſtam extremam humoris naturalis conſumptionem phtiſicum notiſſimum quemq; exprimat, Neque ſolum ſummam, ex repletione debilitatem uirtutis, ſed etiam grauiſſimam ex abundanti catarrho repletiõem ſignificat, Quiſque autem formicans pulſus, ſeu uermiculoſus, qui apparet in morbis acutis, & peracutis, mortem tanquam uerus præco diuulgat. Ac formicans magis uerendus, quàm uermiculoſus eſt. Formicans autem ſine graui flamma febris, ſemper paratum ſpiritum, & iam languentem, & defeſſum, uel ad ſyncopim,

spasmosus

formicans, et vermiculosus.

conditiones ex quibus eliciuntur genera pulsuum.

uel ad mortem properare indicat. Ex quinq; autem conditionibus, in quibus naturam proprietatis, uimq; considerãt medici, pulsuum decem genera nascuntur. Primum illud genus maxime ex proprietate motus consistit, Et potissimum arteriæ tria attingit genera, quæ profecto continere pulsum in se, magnum, & paruum, & mediocrem, tum etiam longum, & curtum & mediocrem, tum simul apertum, & occultum & mediocrem, integre perspicueq; uideantur.

Primo notandum est, quod pulcherrimam & optimam complexionem moderatus præsertim inter uelocem & tardum demonstrat. Est & illa ipsa mensura, in qua medium manifestissime distat ab extremis. Secundum sciendum genus est, quod uel recte, uel magnifice in se continere, & fortem, & debilem, & medium uidetur. Tertium genus est, quod cum uelocem, & lentum, & mediocrem, tum similiter & latum, & strictũ, & medi

& mediocrem format, & fingit. Deinde considerãdum est, quod ex sola quiete, aut ut ita dicam, ex consistentia arteriæ, tria pulsuum genera nascuntur. Primum genus est, quod durum, mollem, & mediocrem audacter complectitur. Secundum genus, quod plenum, uacuum, & medium constantissime format, & efficit. Tertium genus, quod callidũ, frigidum & medium nimis multis, & frequentibus motibus efficit, Id demum animaduertendum est, quod quàm sæpissime, & quàm communiter inter dilatationem, & constrictionem id unum genus oboritur ex interiecto spacio, quod rarum, & frequentem, & medium in ipsa constantia, & perpetuitate gignit, & explicat. Rursus id prudentissime, & accuratissime notandum est, quod quidẽ aliud pulsum genus, uniuscuiusque more ad moram quodam ex argumento, aut ex comparatiõe nascitur, & quodammodo incidentem, & deci-

dentem

dentem continet. Hoc enim tam curiose, tam diligenter, tam ſubtiliter notandum, & explicandum eſt, quod potiſſimum hæc duo prædictarum rerum genera naſcuntur, ex permutatione quietis, aut ut ita dicam, conſiſtentiæ, quæ dicuntur nequaquam principalia, ſed iſtis quidem aliჳs adiacentia. Vnum genus eſt, quod æqualem, & inæqualem pulſum continet. Alterum eſt, quod ordinatum, & inordinatum denunciat. Hæc quidem Gualterius memoriæ, & Philaretus uiri doctiſſimi prodiderunt. Quid multa dicam? Vulgo tum pulſus cauda ſoricina diceretur, qui enim ſic à medicis barbaris & fingitur, & nominatur: quũ ut prima percuſſio ſit debilis, ſecunda debilior, tertia debiliſſima, prorſus tam diu deſcendat, quoad ſtirpitus decidat: quod tot & tantis teſtimoniჳs non amplius ſentiatur. Hoc admirabile, & certiſſimum ſignum eſt mortis, quod nobis ſatis paruũ ſpiritum, & ſatis debilem

uirtutem

cauda so=
recina

uirtutem eatenus declarat, quatenus omnis ſpiritus extremas partes uniuerſæ arteriæ complere non poteſt, Sed communiter, & publice per contrarium fit, quando ipſe pulſus in primo tactu debilis eſt, quãdo in ſecundo fortior, quando in tertio fortiſſimus. Sic hoc dicitur ſignum, futura ſanitate refertiſſimum, atq; corroborari admodum debilem naturam ſignificat, Atque is potiſſimum apud pleroſq; cauda ſoricina tornatiua appellatur. Capriſans eſt, in quo bis arteria ualde ſubtiliter eleuatur, antequã aſcendat. Sic capriſans, ut non ſolum phyſici uolunt, ſed etiam medici, ad abſolutiſſimam ex omni parte ſimilitudinẽ capræ nominatur, quæ bis immoderate antequam deſcẽdat ſuo more ſalit. Prius autem aliquanto eleuatur, ut ulterius cõfeſtim, atq; altius eleuetur, poſtea pauſum corroboratur, Quo quidem in caſu, primum humorum multitudinem, deinde recreationem caloris naturalis et

fortificatio-

fortificationem ſignificat. Vnde hoc: propter neceſſitatem, uel imbecillitatem uel fortitudinem ſuam cor facit. Tandē neq; uarios humores, neq; humidos uapores omittit propellere, atq; propulſare. Et illud facilius tum conſiderandum argumentum, tum copioſius ſciendum eſt etiam in talibus rebus, Si maior eleuatio ſecunda iudicatur, quâm prima, uel comperitur par, uel æqualis, Vocatur enim laudibus plenum ſignum, quum maior ſit eleuatio ſecunda, & quum magno teſtimonio minor, debiliorq;, & publico ſentiatur, Intelligendū eſt ſignum imbecillis naturæ, ac debilis. Vix hunc enim pulſum audeo dicere, martellinum, cui barbarum nomen imponunt Neoterici: in illo digitis bis arteria illiditur, antequam poſt primam alliſionē ſenſibilibus, atq; effluētibus motibus deprimatur, fit enim occultiſſima ſiſtoles, quæ eodem modo poſtea maniſeſtiſſime iterum alliditur, & in qua plu-

rimum

Martellinus

rimum resilit, & iterum sub considerata atq; publica ratione alliditur. Pulsus autem iste uariam caloris multitudinem, præcipuam humorum paucitatem, immodicam debilitatem uirtutis, in arterijs designat, Quod neque ei sufficit una eleuatio, neque satisfacit in promptu, uel haudquaquam sufficientem, firmum, stabilem aerem tanto calori attrahere possit. Et ob eam rem properat iterum eleuari: antequam publice, integre, sensibiliter descendat. Vehementer hæc res ad sapienter considerãdum pertinet, Quod si adeo nonnunquam fortis secũda percussio uel reperietur, uel sentietur, ut prima quidem apparet, uel si paulo fortior, uel uehementior fiet, Sic hoc maximum bonitatis, ac præcipuum signum uidetur: Quia non solum fortitudinem, uerum etiam futuram ualetudinem ostẽdit. Si uero secunda percussio, suspectior, debilior, & exilior sit, quàm prima, id pessimum, & suspiciosissimũ est,
 & ista

& iſta quidem contingit alia percuſſio, propter ſummam arteriæ ſiccitatem, unde in eiuſmodi tactu ſpaſmus ex inanitione, qui quoddam mirabile elogium, quoddamq́ præſagium dicitur habere, timetur. Pulſus uidelicet ſerrinus ex propria, & natiua induſtria cognoſcitur, in quo ita arteria curſus inæquales, & pene diſſimiles habẽs digitis alliditur, ut nonnunquam fortiter ſub uno digito uigeat, & ſentiatur, Sed ut penitus ſub altero magis, atq; magis debilis ſentiatur, aut nõ plane hic idem appareat, aut ubi ſit, ſentire non poſſimus, Atque iterum, quod maximum eſt, in quibuſdam digitorum pulpis ſentiatur. Simili igitur modo etiam ſequitur, ut ſecundum partes digitorum apertiſſime uarietur. Iſte enim pulſus eſt, qui datur ad excellentẽ ſimilitudinem & ad ſummam comparationem ipſius ſerræ, quæ ex diuerſis, ac diſparibus dentibus conſtituitur, & idẽ pulſus anxietatem naturæ impotentis, et

plurimam

plurimam infirmitatem, & omnem tenu itatem, & totum corpus arteriæ mouere ſignificat cum perpetua defectione. Ramoſus ſiue tortuſus pulſus eſt, in quo aut dextrorſum, aut ſiniſtrorſum ſecundũ partes diuerſas arteria ipſa in modũ tortuoſi rami mouetur. Hic & aptiſſima ratiõe pulſus à uaporibus arteriã impellẽtibus dicitur, & hoc fit, ut doctiſſimus inquit Raſis, propter maximã aggrauationem non modo naturæ, ſed etiã morbi. Quum enim & in longinquis & in remotis partibus arteriæ materia poſita fuerit: id efficitur ut quidem à corde nõ proueniunt, niſi ſubtiles uapores, ad totum impedimentum cordis. Sed quum à cauſa uicinitatis, propinquitatis, affinitatis, generationis, eidem cordi coniuncta materia ſit, de quo omnino tã craſſi ueniunt cum ſubtilibus, Et iſti quidem craſſi arteriam nõ ordinatim, aut ad dextram aut ad leuam partem mouent, & pulſant ſecundum motum ipſorum, ma

Ramoſus

 xime

xime cum non ſint de genere caloris naturalis, Et ideo nullum moderatum, nullum iuſtum, nullum rectum ordinem obſeruant, quia mediusfidius nec ſubito, nec pari tenore arteriam mouent. Vt enim clariſſimus ſol, uel uigore uel ſplendore rotundam, & amplam, & uniuerſam terram circundat, Ita omnibus modis calor naturalis ſuper totum corpus ſine mora aperte, ſenſibiliter, mirifice expenditur. Significat autem quum debilitatem uirtutis, tum ipſam humiditatem manifeſtam cum copia maliciaq́ peccãtis materiæ, & conſueuit in atroci moleſtia ſpaſmi præſertim de repletione, & quũ in apoſtematibus, & tum ſimul in omnibus morbis prouenientibus ex humida materia apparere. Tremẽs eñ ſiue tremulus pulſus, ſic uere contingere ſolet, quando totius arteriæ motus uidetur ſub digitis facere tremorem, qui quidem tremor ſic fit, in toto corpore, ut in omni uiolentia mutua pugna fit, inter morbum,

morbum, & naturam, morbi uolentis est humanum & uiolare, & deprimere membrum, Naturæ autem uolentis est tueri, defendere, & subleuare partes corporis, ut ait Constantinus, Quod ita acris, & ferox fit in arteria pugna, ut facillime talis pulsus discordiam, & abundãtiam humiditatum manifestet: Quod cum arteriæ dominatus huc & illuc uel agitatur, uel rapitur, Vnde uniuersa spiritus arteria infirmatur, & potissimum in periculosam, malamq́ue eleuationem mouetur. Atque is ob certissimam defectionem pulsus designat repentinam horam mortis, Vndosum uero siue fluctuantem, siue exæstuantem ab æstu maris cadentem proprie dicimus esse: Quia ut in procellis, in tempestatibus, in fluctibus undæ maris sese comitantur, Atque ut quando unus quidem fluctus eleuatur, alter deprimitur, Sic igitur antea in una parte pulsus eleuatur, postea occultando in altera clam decidit, & hoc effi-

Vndosus

 cit, quod

cit, quod motibus ſucceſſiuis robur in
una parte poſt aliã habeat, in qua pror
ſus natura eius à ferrino pulſu differt.
Quod autem aut crebrius, aut ſæpius
hic facit, id totum ſucceſſiuis percuſ-
ſionibus & motibus ſemel ille facit.
Et hoc idem utriusq; ſignum eſſe uide-
tur, & quod ita eodem modo ſe habent.
Vndoſus autem aliàs ſic eſt intelligen-
dus, quando prima eius percuſſio eſt
fortis, ſecunda debilis, tertia fortis, quar
ta debilis: Ille quidem pulſus in maiori-
bus, minoribusq; ipſis uenis humiditatẽ
per totum corpus continere ſignificat,
Vnde ſi igitur talis omnino in die decre
torio apparere uidetur: ex his rebus,
multisq; alijs perſpicuum eſt, quod indi
cium, quodq; ſignum futuri ſudoris eſt.
Qualis autem ſit pulſus uermiculoſus,
facilius intelligi, quàm explicari poteſt.
Atq; etiam ſi conſiderare uolumus, ipſe
habet magnam ſimilitudinem trahentis
uermis corpus ſuum, dum huc dum il-
luc repit,

vermicu-
losus.

luc repit, Sic potiſſimum pars eleuatur in eo, in quo quidem illa eadem ſtatim deprimitur. Ideo quia multo etiã maiorem languorem, moleſtiam, debilitatem ſignificat, quàm prior. Hoc porro uerissimum ſignum eſt, quod propinqua morte carere non poſſit, Cum priori autem ut quiſpiam æger ualeat mortẽ euadere, ſi quandoq; & nouum, & firmum uigorem aſſequi, ac recuperare uirtus uidetur. Capriſans enim dicitur inæqualis eſſe, Quippe qui cum magna quidem proprietate ſua, poteſtateq; comparationem uermiculoſi uidetur habere. Nam ita fit, ut dumtaxat in eo maior debilitas inquiritur, atque inueſtigatur, quàm in alio, Vnde autem, quum propter paruitatem, tum propter ſummam frequentiam motus ſui una percuſſio diſcerni uix poteſt ab altera, quod niſi ſignum certiſſimam necem ægro minatur, hic enim aut uerſibus aut potius rhythmis poſſunt omnes manifeſtiſſime inordinati

pulſus compræhendi, qui, ut prorſus inculti & horridi apparent, ſequuntur,

Capra martello, ſerræ, ramo, ſimilatur,
Fluctuat atq; tremit uermis, formica ſequatur.

Pulſum enim prægnantis, paruum, & ſpiſſum dicimus eſſe propter neceſſitatē uacuandi. Itemq́; & furor, & ira abundantiſſimum ſpiritum dilatat, atq; magnitudinem parui, ſpiſſi, uelocis facit. Magnus autem ex delicijs, & rarus, & tardus eſt, qui ſingularem tranquillitatem animi, & magnitudinem cum cupiditate inflammatam eſſe uult. Sic ſimiliter lætitiæ pulſus non cum mediocri excellentia animi, præſtantiaq́; maxime adiungitur. Triſtitiæ autem eſt paruus, tardus, & debilis, & rarus. Quid igitur? ob eam ne cauſam aut triſtis ſpūs, aut corporis macies poteſt hominem cōſumere? Pulſus uero timoris eſt uelox, diuerſus, inordinatus, in omni animi perturbatiōe,

tum

tum anguſtia, & cruciatu, tum etiã moleſtia, & ſolicitudine, & ſumma pernicie, ut afflictatio animi, & oppreſsio adſit, quæ adfert tum luctum, tum etiam dolorem. Pulſus autem quotidianæ febris, mollis, latus, tardus, diuerſus, ac debilis, aut in multis, aut in pernicioſis humoribus maxime cernitur. Mollis eſt ab humiditate, latus ob diſtenſionem, & materiæ abundantiam, tardus propter caloris paucitatem. Diuerſus propriã formulam continet aut in fortitudine, aut in debilitate. Omnino enim illud officiũ naturæ eſt, quæ cum euidenti, ſublimiq́ꝫ teſtimonio aliquando materiæ dominatur, ex quo pulſus fortitudinis dicitur. Nonnunquam uero materia naturæ imperat, tum quum ualde pulſus debilis & fit, & ſentitur, & poſtea in quandam fortitudinem uiriliter, excellenterq́ꝫ approperat. Nec quicquam aliud pulſus febris tertianæ eſt, ſi quis interpretari uelit, quàm in principio acceſsionis paruus,

debilis,& ſubtilis,& quaſi repente magnus,uelox,frequens,calidus, atq; acutus naſcitur, ac quaſi uigoris currentis ſcatet.Pulſus enim quartanæ comperitur & paruus,& tardus,& ualde diuerſus,& gracilis, & ſubtilis, nec diſſimile iudicium unquam patitur,nec quicquã aliud ſequitur,quod negari poteſt. Eſt enim pulſus in Sinocha plenus,latus, uelox,& inordinatus, in quo conſtrictio dilatatione uelocior putatur, propter illud deſiderium, quod expellit fumum putrẽ. Pulſus in cauſone ad magnitudinem,ad celeritatem,ad fortitudinẽ procliuus & propenſus currit.Pulſus infantium aut breuitate, aut uelocitate citiſſimus eſt. Duabus autem his rebus ita mutatur & angitur,ut aliquando quidẽ ſuum ordinem non poſſit ſeruare. Magnus uero pulſus, & tardus, & rarus,ſi palam,ſi pertinaciter per totam infirmitatem infantibus perſeueret, ſic illam ipſamterribilem mortem minatur.Am-

pliſſima

pliſſima enim frequentia pollet in pueris pulſus. Eos dico, qui lætiſſimam, & creſcentem habent iuuentutem in ipſo ætatis augmento, uel tantam magnitudinē uel tantum ordinem accipiunt poſt uarietatem eius. In ſtatu uero ætatis pulſus maior, tardior, plenior, & æqualior, & magis ordinarius ſit, quàm in alijs ætatibus, & fortior. Quoniam in primis pulſus ſenum paruus, inanis, tardus, extraordinarius reperitur, & nonnunquam deficiens apparet. Si uero breuis pulſus, & ſpiritus per totam infirmitatem ualetudinis iuuenibus perſeueret, indicium mortis eſt. Puerorum autem pulſus ita mollior, ita leuior, ita debilior, ita ſpiſſior probatur, Quod uirtus à quo inſtrumento, â quo curſu debilitatis pendeat. Omnis uero iuuenum pulſus eſt magnus, ſed nequaquam in abundantia multæ uelocitatis, Omnibus enim modis pulſus ſenum minor patet, & ſemper à multo minori uelocitate proficiſci

tur: Sed

tur: Sed eorum, qui triſtiſſima ſenectute, ultimis temporibus, deuectis ætatibus multum proceſſerunt, Pulſus tardus, & rarus & paruus præſto eſt, Quanquam pulſus in ipſo uere iudicandus eſt fortis, Palā tamen, atq; ſimpliciter paruus eſt, cognoſcitur integra re, cauſáq; uelox, & ſpiſſus in æſtate, & cognoſcitur & putatur ſecundum uarietatē temporis diuerſus in autumno. Pulſus motu certo, & ratione non dubia tardus, rarus, debilis iudicatur in hyeme, & apparet. Ita etiam aut eadem lege, aut eadem ratione ſecundum tum calidas, tum frigidas, tum temperatas regiones pulſus mutatur. Ac de iſta quidem parte ſatis dictum eſt. Sequitur, ut doceam ea ſigna, quæ chriſi morborum metienda ſunt, in quo peccat pulſus, aut in quo ſalutaris, aut periculoſus eſt, qui quidē pulſus illud præconium, quoquo te uerteris, iuſtiſſimum demonſtrat. Pulſus deficiens, quo nihil eſt tetrius, nihil pernicioſius, propinquum interitum,

interitum, & terribilem mortem in quo uis pronunciat decretorio die, quod signum profectò uerissimum patet, & cõmunissimum in omni chrisi dicitur. Hic totus pulsus in formidanda, inimica, periculosa chrisi diuersus, & inordinatus sit, in quo quidem durare nec multum, nec diu uita potest. Vndosus enim dicitur pulsus, qui etiam diuulgat, aut liberã aut publicam mutationem, aut nimis copiosam per sudorem chrisim significat. Pulsus autem magnus, aut per profusionem, aut per proruptionem abundantis sanguinis amplam totius Chrisis uim è naribus prouocat. Durus per uomitum iustam Chrisis executionem excitat. Occultus Chrisis potestatem præsertim, atque maxime habet per fluxum uentris, ut ait polyhistor Galenus medicus ac magister omni genere optimarum artiũ excellentissimus. Quòd si corporis humani pulsus in æstate paruus est, aut futuram aut propinquam Chrisim explicat. Si

cat. Si quædam laudabilia ultro & citro, & bona ſigna præceſſerunt, illud ſic eſt ſignum, materiam cum magno robore, & conatu naturæ ad interiora conuerti, quod dictum eſt. In primis uero commode, & apte, ac proprie interiora uocamus, ita medium corporis, ut ſtomachum, ut inteſtina, nam & ſuperiora ſunt, ad quæ ſi quid expulſio tentet, uomitus ſequitur cum poteſtate, & impetu. Si magnus uero fuerit, huius uis eſt ea, ut conuerti materiam ad exteriora ſignet. Hæc medici, exteriora uocant hæmorrhoidas, è naribus fluxũ ſanguinis, urinam, ſudorem, & ea excremẽta, quæ ſunt his ſimilia. Si uero eſt magnus, fluctuãs, undoſus, mollis, id ſignum, quod dico proprium, ſignificare ſudorem poteſt, Quicunq; enim magnus, & fortis eſt, apertum ne ſignum uocatur, impetu nitur, præſcribitur in omnibus ſpecibus euacuationis: de quibus rebus hoc loco differendum eſt, Quod enim publico magnoq; teſtimonio dies decretorius

eſt

eſt, ſi ſalua occaſiõe, ſi legitimo iure corpus humectetur, Pulſus Chriſim maxime propriam per ſudorem ſignificat. Aeger autem ſi rugitum, & morſum inteſtinorum habuerit, nihil ſperandum magis eſt, & nihil certius, quâm Chriſim manare per alui diſceſſum. Si grauedo renum, atq; dolor apparuerit, mutationem oportet aut per urinam, aut per hemorrhoidas fieri, Si quas quidẽ tum corporis ſalubritate, tum etiam conueniente tempore, & conſtituto quiſpiam conſueuit habere. Si uero quodam forti ſaturitatis impetu, & conſtanti auiditate ſumatur cibus, nonne in ipſo die decretorio eijcitur per uomitum? Si uero non defuerit dolor frontis, uel ſcotonomia, è naribus fluxus ſanguinis ille, quẽ maxime natura ſequitur, in utilitate poſitus, non in pernitie prouidendus eſt. Quòd ſi & Chriſis ipſa uenerit, quæ ad optatiſſimam ſalutem, uel ad triſtiſſimã mortem ſemper cognoſcitur, hoc quidem

dem pacto. Si continuo post Chrisim per uniuersam seriem, & consensionem, & ualidum ordinem pulsus ad fortitudinem magnitudinemq́; uigoris maxime assurgit, tum gratissima Chrisis, & pugna uitæ sanctissima fuit, ad fundatam præsertim atq; optime constitutam salutem corporis. Si autem is pulsus etiam in assidua motus fragilitate sane est, qui propter insignem defectionem sicuti ad paruitatem, ad debilitatem, ad inordinationem ualde accedit, Tum profecto in rem perniciosissimam fuit Chrisis, & mortẽ designat. Pulsus enim ex acuta & pestifera febre factus in materia sanguinea est magnus, uelox, frequens, & contra consuetudinem mutatus. Pulsus in Cholerica materia semper quidem magis ex uelocitate, ac frequentia patere totus uidetur, quàm ex magnitudine, Idcirco est pulsus in phlegmatica materia paruus, ac frequens, & cum aliqua quidem uelocitate: Pulsus enim in omni ma

teria

teria melãcholica tardus, paruus, rarus, in principio eſt, qui poteſt nonnunquã frequens in proceſſu fieri.

Hos quidem pulſus doctiſſime Andræa ex optimis authoribus undiq; collectos, probatiſſimos iudices cognoſcendorum morborum, ac præcones in ſanctiſſima uoce, & in omni ueritate certiſſimos, uelim ita pro tuo diuino ingenio, pro admirabili doctrina, pro laudabili prudentia, pro ſumma deniq; erga me beneuolentia legas, & examines, ut noſtram mutuam & priſtinam amicitiã, haudquaquam obliuio capiat. Fortaſſe tam grata tyronibus hæc noſtra deſcriptio erit, quàm quod gratiſſima. Ipſam præterea pulſus diſciplinam ſummo ſtudio, & ſumma uigilantia ſibi in perpetuam commoditatem amplectãtur. Sed de his cognitionibus, atq; interprætationibus hactenus. Deinceps de ſcientia medicorum & de commendatione pul-

ſus admodum pauca dicenda ſunt, & ſentio. Quis non hunc uere dixerit infirmitatum præconem, cui ipſa ſigna affe-ctionum humanarum omnino ſemper cognita, explorata, meditata eſſe poſ-ſunt? Quanti eſt ęſtimandus pulſus? qui nec falli, nec ſeduci poteſt unquam, neque ſomno, neq; uigilia extinguitur, nec ui ægritudinum, nec uirtutum per-mutatione tollitur, quo qui imbuti ſunt, medici ſunt periti. Medici enim ſibi no-men uendicant, & copioſam & pruden tem doctrinam, Medici, quod eſt pro-prium doctorum uirorum, pulſibus præditi cognoſcendis, interpretandisq; ſunt. Satis hoc eſſe putant, quod ad ægri tudinem pertinet, nihil omittunt, omnē rem profitentur, ſanum iudicium ſibi non deeſſe ſentiunt. Scioli aūt prorſus in omni re contrarij ſunt, Quoniam fri-gida atq; doloſa in morbis iudicia ob-ſeruant, Quando humanum genus frau dant, decipiunt, prædantur, Quando

ægros

ægros è uita ſpoliant, Quãdo in fraude, mendacijs, fallacijs omnino uiuere uidẽtur. Nec eorum quiſquam adhuc repertus eſt, qui ſummum prȩconium, ac propriã medicandi gloriam conſequeretur. Illi non modo rudes, ac idiotæ, uerum etiam ignari, ac fallaces iudicandi, atq; appellandi ſunt.

VALENTINI POLIDAMI, DE IVDICIO *Vrinarum, Ad prudentißimos* LIPSENSIVM *ciuium Consules, & præstantißimos Medicinæ Doctores, Liber* PRIMVS.



QVVM NVDIVS tertius in hanc florentissimam ciuitatem ueniens de præstantissima uestra doctrina, & perpetua summi amoris erga literatos homines obseruantia, disertissimi uiri, audijssem, In primis quæ mea imbecillitas, ac mediocritas ingenij est, non profecto sine magna, iustaq; diligentia libros de urinarum iudicio scribere tentaui, in quibus amplissimum honorem, & laudem uestram ornari, celebrariq; uellem, ex animo

animo oſtendi, hoc enim communiſſi-
mo ſtylo, & hiſce familiariſſimis inter-
prætamentis diligentiſſime utor, mirifi-
ceq; antiquorum ſcriptorum ſuſpectam
negligentiam, & recentiorum fugio, &
euito, propter ſophiſticas quæſtiones.
Quum & obſcuriſſimę res dogmatis di
gniſſimi, hominibusq; utiliſſimi, & diffi
cillima præcepta uiderentur. Pro ſuauiſ-
ſimis quorundam medicorum petitioni
bus exiſtimaui me oportere aliquid in
lucem accuratius ædere. Quanquam
me non præterire arbitror, quanta no-
ſtrorum temporum ingenia, & quanta
ueſtra iudicia ſint, Tamen cum utilis is
labor eſt, quem non modo propter au-
gendam artem medicam, ſed propter or
nandam etiã mea ſponte ſubiui, ac æque
omnia ſtudia, quæ adoleſcentibus,
ac ſtudioſis medicis præſtiti, uobis
doctiſſimis uiris grata eſſe non dubito,
mihiq; tantam ſcitote indies maiori curę
eſſe barbariem, quantam quidem fre

 quentiſſimę

quentissime apud medicos, & obscurissime sic scriptam reperio, ut nihil addi incultius possit. Sed mihi magis, magisq; quotidie de commodis scholasticis cogitanti politiorem suscepi conatum, & apparatum scribendi, quàm plerique: quo quidem cõsilio, nihil iucũdius, nihil gratius, nihil amabilius optimo cuiq; fore putaui: Quum quidem & illud gratissimum, & sanctissimum documẽtum medicinæ tyronibus conducere posse, & prorsus ope mea defuturum nunquam esse arbitrer, Et primum uelim existimetis, quod res est, urinæ quasi diuinũ lumen aliquod in summo experientiæ ornamento consistere cognitionem, & prudentiam, & doctrinam. His autem temporibus patet hoc documẽtum maximis oneratum figmentis, tantis obscuratum differentijs, summis implicatum esse difficultatibus. Hoc etsi commune sanè uidetur, non modo ab Actuario medico traditum, sed etiam ab alijs, Tamen mihi

men mihi credite innumerabiles huic iudicio urinarum nugas, & ſuperuacaneas quæſtiões accidiſſe, quas hoc in loco nõ commemoro. Quum & mihi perſuaſiſſimum eſſet, & optimos libros ſummo ſtudio, labore, diligentia legiſſem, non dubitaui id commodiſſimum de urinis ædere, quo quidem multi quotidie propter ſummam neceſſitatem indigent. Quod quanquam urina hoc totum experimentum ſi quando fallax oſtendit, & frigidum quodammodo præbet. Facit tamen iudicium experientia munitum prope ſingulari, & quibuſdam peregrinis obſtaculis fallere potius, quàm proprijs rationibus errare. Schola etiam medicorum multos habet obtrectatores urinæ, qui eam uituperãt, Quum nulla ſit ſcientia, nulla experientia hominibus ignaris, in quibus tanta eſt maleuolentia, ut eos non tã magnitudo de laudibus urinæ torqueat, quàm ueritas offendat. Omes enim urinarum

Urina si quando fallax

conditiones ad laudem medicorũ, quas nunc omitto, manifestissimę sunt, & assiduo studio, & prope singulari prudentia, & quotidiano usu dignissimę, quod me obsequiosissimum amicorum, & reipublicæ literariæ esse uolui. Dedi operam, ut ars hęc accuratissime illustraretur, Quum illa omnibus morbis cognoscẽdis sit utilis. Idcirco omnem meã curam, atq; operam ad hoc studium cõuerti, ut & illa paterẽt, quæ omnino uera cognoscerẽtur, & necessaria essent. Semper enim præstabilis est scientia, & ingens urina omnium ægritudinum agnitio, summumq; iudicium curandorum morborum. Quamobrem nihil post hominum memoriam commodius, nihil salubrius, ne quicquam tempore quidẽ ullo maius comperiri arbitror, quam artis medicæ documenta, cuius opes, commoditates, experimenta, uires ægris magno uel confugio uel præsidio esse possunt. In primis quũ omnia urinarũ præcepta non

cepta non ſine magnis quidem commo dis, beneficijsq́ in cognoſcendam ægritudinem certiſſima ſunt, tum fortiſſimis rationibus, atq; teſtimonijs plena, quæ ex ſummo ſtudio, nō audacia quadam, ſed aliqua potius doctrina iudicātur, & nonnunquam multo uberius, multoq́ diligentius interpretari poſſunt ab ijs, qui diſciplinam medicam adeo ament, aut ab ijs, qui maxime cognitionem aduerſæ ualetudinis ediſcendam curent. Omnes enim medici, qui honeſtatem, ac utilitatem & poſtulent, & expectent, ita hanc doctrinam aſſiduitate, opera, diligentia colunt, ut ſummis laudibus unam medicinam adminiſtrent mortalibus. Homines autem ignari, qui in morbis curationes faciunt fallaces, etiam in minima re prompti eſſe ad errandum uideantur, qui nempe nullis exiſtimationibus, iudicijsq́ cognoſcēdæ urinæ, utuntur. Hoc igitur in propoſito, & in hac doctrina noſtrum animum omnis la-
 bor

bor ſolicitum habet, nõ ut proprio marte præditi, ſed ut conſueuimus ex libris Galeni, Auicennæ, Hypocratis, ſtudioq; noſtro potiſſimum quantum fieri poterit, nonnihil colligemus. Sed tyronum eſt propria & magna laus, ut omnem aſſiduitatem, diligentiamq; ſuã eſſe in ſpectanda urina, atq; in cognoſcẽdis iudicijs, atq; in perpendẽda ratione collocatam enitantur, contendant, efficiant. Quoniam non mediocris gloria medici in cognitione ſita eſt urinæ, cuius ingens commodum, uel ſumma potius frugalitas non iucunda ſolum, ſed etiam admirabilis ad medicorum ſtudia, & aggredi, & accedere uiſa eſt, illa ſit medica ars, quam ab infirmis nunquam exploſam eſſe uidemus. Omnis enim doctrina, quæ uitæ ad ſanitatem, iucunditatemq; ſpectat, à ſapientiſſimis uiris, cum ſingulari gaudio ad magnitudinem gloriæ extolli ſolet, & debet, ut eam ſtudioſi adoleſcentes colant. QVAE ſit utilitas:

litas de urinis, hanc ſtudioſe inquiram. Omnis autem de urinis noſtra diſputatio, & quæſtio eſt. Vnum quidem documentum eſt, quod uehementer ampliſſimam urinæ noticiam etiam, atq; etiam illuſtrat, Quod profecto perpetuã obſcuritatem diſcutit, & fugat, quod archana occultiſſima enodat, quod aptiſſima interprætamenta, & nobiliſſima præcepta communicat, neq; opinionem, neq; ſtudium lectoris fallit. Sic prorſus quaſdã normas, & regulas explicat, ut quàm rectiſſime palam omnia neceſſaria docentur. Prima regula eſt, Quod præparetur aptiſſima ea matula, quam & de conueniente forma propter ſummum iudicium, & de candido uitro medici uolũt eſſe, ut quàm exactiſſime colores appareant. Quoniam perperam fit in uiridi iudicium, claritas autem candidi uitri manifeſtas cauſas ægritudinis cum ueritate & conuenientia oſtendit. Omnes enim aut figuras matularum, aut differentias

Matulæ conditiones

Vrina quando colligenda

rẽtias in primis Actuarius medicus ſatis accurate ſcribere conatus eſt, quas cauſa breuitatis omitto. Secunda regula, urinã poſt primum ſomnum noctis ægeı collectã debet diligentiſſime capere, aut eam urinã, dum ſit & quietus, & ieiunus, aut in aurora, aut mane licet colligere; Quod uero in eodem uno etiam loco dormierit. Tertia regula, Poſt ortum ſo lis in domicilio ægri ut urina & ſpecte- tur, & iudicetur, antequam duarum aut trium horarum interuallum labetur. Quarta regula eſt, quæ iudicare urinam non modo in aprico ſolis ſplendore: ſed etiam ualde in lucido aſpectu, & in omni loco obſcuritatis prohibet, & ue tat, quia uterq; fallit medicum, Et id ma gnopere cauendum eſt, quod & colorũ multam, & magnam uarietatem affert Ob eam rem quiuis medicus ſibi inte hoſce duos medium locum quærat, qu pacto nullo colores aut mutare, aut lęd re poteſt, quare etiam illum ipſum locũ

quiſq;

quisque in contentis considerandis sibi uehementer etiam, atque etiam conducere arbitratur. Quinta regula id imponit, precipit, iubet, docet, quod summam curam adhibeat, ne quis imbecillus in praecendenti die magna inaedia, & maxime solo pane, & potu aquae maceretur. Nam quum urina maximam faceret mutationem nõ tam ex omni inaedia, quàm ex assidua, & sola comestione panis, & simul ex potu aquae, fallacissimum medico iudicium afferret. Sexta regula est, quę non solum cognoscendam imbecillorum complexionem, sed etiam considerandam aut praecipit, aut docet, quanto enim magis incensum lotium nõ tam cholericis, quàm sanguineis hominibus igneum est, tanto minus phlegmaticis, & melancholicis, quòd si in complexionibus urina tincta apparet, praesertim frigidis, proculdubio febrem significat. Temperata enim urina in colore, & liquore recte citrina, clara, mediocris, nõ modo

Signa ex colore.

modo inter omnem & igneum colorẽ, & citrinum, uerumetiam inter crassum, & spissum, complexionem præ cæteris temperatã indicat, in qua haud quidem alteram altera qualitas tam fortitudine, quàm uigore, atq; malitia opprimit. Vrina autẽ rubea in colore, crassa in liquore, unamquamq; sanguineam, calidam, humidam complexionem patefacit, & innuit totam. Subtilis autem, atq; rubea complexionem aut cholericam aut calidam, aut siccam designat. Crassa uero alba quum in tanto uigore, tum in ueritate palam frigidam, humidam, phlegmaticam cõplexionem ostẽdit, Illa semper sine dubio alba est, quæ incredibili sua uirtute, & fortitudine claram complexionem, uel frigidam, uel siccam, uel apertius melancholicam significat. Septima regula est, quę diligentissime humanum sexum notat, nonne plus secundum naturam incensam urinam masculi habent, quàm fœminæ? Octaua regula, ut

sa, ut sciant medici ætatem, quæ puerorum, quæ lactentium dicitur, in quibus nullum certum habet urina iudicium, quia multo profundiorem uiam, quia multo occultiorem cursum calor ipse insignis generat, & obtinet. Quoniam choleratam multum adolescentia urinã, iuuentus uero maximè intensam propter quoddam acumen caloris gignit, Maturitas enim senectutis naturale quiddam habet, quod suo tempore ualde urinam remissam facit, quiuis puer, qui quodam errore in febrẽ incidit, & mingit aquosam urinam, signum malum sanitatis indicat, quum digestiua uirtus sit fortis. Si in sene autem ignea est, id maximis in malis augurium desperatæ uitæ cognoscitur. Quare summa authoritate antiqui medici docte sanè, atq; cõdigne hanc differentiam prope singulari studio scribunt. Omnis enim infantis urina est, quæ aut lacteum, aut album colorem parit, puerorum uero multa; & crassa debet

Ab ætate

debet re ipſa albedini propinqua, & uicina eſſe urina, quæ uocatur iuuenum, coloris eſt rubei, crocei, & ignei æmula. Illa autem urina ſenum eſt, quæ & ad albedinem, & ad ſubtilitatem, tum prona tum decliuis dicitur, & quandoq; in proprio colore craſſas eorum urinas eſſe uidemus, De quo doctrinam adeo diligẽter commemorat, & ſapienter confirmat Iſaac longe ueriſſimam, quòd hoc modo pingitur urina citrina ſenum, & dicitur colore remiſſo citrino eſſe non minus, quàm color palearum. Porro autem urina ſenum aut maioris albedinis, aut tenuitatis, non tam ſublimi, quàm recta ratione ſpectatur, qui extremam ætatem agunt, ut à noſtris maioribus ſcriptum eſt. Nonnunquam illa ipſa ſenũ urina craſſa, quæ ſi uehementer craſſa eſt, fore propenſos ad calculum patiendum oſtendit ſenes & indicat. Nona regula requirit curſum, & tẽpora anni. Quando urinæ in hijs temporibus, quę

A temporibus anni.

differunt,

differunt, quemadmodum experientia doceret, ſatis manifeſtum iudicium habent. Coloratę autem urinæ ſunt in æſtate, in hyeme remiſſæ, Tantam igitur febrem in hyeme ſignificare incenſio iſta poſſet, quantam in æſtate non faceret. Idcirco recte à phyſicis diſputatur, quia quantum & dies, & noctes ueris proceſſerint ad calidum tempus, tantum urinarum ſimul colores à ſubſpiceo & à ſpiceo ſecedẽtes procedũt non modo in colorem ſubaureum uerſus, uerum etiam in ſubcroceum properant, & inclinant. Vrina uero plane debet ad conditiones rationesq; certas, & legitimas abeunte ſubſtantiarum inæqualitate accedere. Quum iuſto enim, & debito pondere id patet, quod ſecundum naturam fieri poſſit, in qua æqualitatis commenſuratio eſt maxima, Ita fit, ut tota hypoſtaſis huius tẽporis progredi à craſſiore, & mutari in tenuem aperte properat, atq; in quandam mediocrem tenui-

 tatem

tatē uerſus cōcurrit, & declinat. Quod niſi ita eſſet, quādoq; multo copioſior, & maior quantitas humoris appareret ex proportione illa, quæ capitur indiſtincte, atq; promiſcue. At uero cum æſtas adpropinquaſſet, & frigus iterum exactū eſſet, Quia tum planiſſimè, ſubcroceæ, & ſubaureæ urinæ apparent, ſubſtantia uero concors abſolutam mediocritatem in ſe ipſa continet, Hypoſtaſis enim tenuis temporis huius declinat in mediocritatem. Nam urina talis, & alba, & lenis, & ęqualis eſſe dicitur. Quid autem procedente æſtate, quid ad ſummum accedente importat humorum quantitas, quæ in promptu minor ex proportione ſpectatur, In quamcunq; autem partem hypoſtaſis à naturali albedine ſecedens, ſubſpiceum ne colorem uerſus inclinat? num multo minor? num tenuior eſt? Hæc enim tenuitas in urina ſit, hæc magis cum quodam fulgore luceat, quæ quidem aut in colorem croceum,

um, aut in aureum ſatis cumulate ſit, & uergere aliquantulum poteſt. Poſtquã enim poteſtas integra autumni, & curſu ſolis plena aduenit & acceſſit, in quo quidem communes colores reuertuntur, id poteſt aliud alio maius eſſe, aut minus ad mediocritatem. Sed illa ipſa tenuitas, & fulgur non adhuc erumpũt, non exeunt, ſed profecto in omni re alba leuis, æqualis nuntiatur, & creditur. Procedente autem autumno aut certam, aut neceſſariam mediocritatem attingit ſecundum naturam & dignitas urinæ, & proprietas. Quum quidem fuerit circa ſolſtitium hyemale, cum poteſtate, cum uigore, ac iuſtitia ipſe ſol, tunc ſecundum illam communem conſuetudinem ſine ulla repugnantia, & diſcrepantia quauis proportione quantitas urinæ redditur, Cuius profecto laudabilis color in album uerſus maxime uergit, atque multo hypoſtaſis excellẽtior, multo fortior, & probabilior extat, quæ dicitur

magis ſecundum omnia alia mediocris. Vlterius autem procedente hyeme, ſubſtantia urinæ ſecundum naturam cum omnibus documentis uaria ſpectatur, et undiq; albus impenſe, & recte color apparet. Poſtremo in maiore abundantia humoris quantitas ex proportione ob unãquamq; rem aſſumptam extat, Hoc uero modo in accidentibus urinæ colluuies, & contenta ſuperfluitatis in communi tanquam rudimento ueritatis aut maiora aut indigeſta ſunt. Sed quid dicam? certe hoc tam re eſt, q̃ experientia inuentum, & probabile. Vbi enim æquinoctium uernale adeſſe uidemus, paulo ante hæc, & modo dicta, aliud nihil agunt, nihil moliuntur, quàm aptantur, quàm ſeparantur, quàm diriguntur, ut aut ad ſalubrem, aut ad neceſſariam mediocritatem redeant. Decima regula, Vnctio uero, in qua urinę iudicium mutatur, colorem aut remiſſum, aut incenſum, aut ſubdolum, aut fallacem communiter

muniter esse commonstrat. Magnum enim medicamen, uel olei laurini urinã intingit, uel martiaton, uel arrogon, uel deniqꝫ ipsum iusquiami oleũ, quicquid oportet, id refrigerat, quod tanto sæuorum morborum suffragio munitum, tantoq́ꝫ robore uirtutis septum, quum hominum corpus mutaret. Omnino etiam urina mutari, certe & fieri remissa potest. Vndecima regula illa est, quæ quanquam de cultoribus regionum tractat, uere tamen, & luculente tractat. Quod quidem testimonium uerum fore putamus, ĳ quum propter uim frigoris remissas urinas habent, qui frigidas sub aquilonibus terras colunt, ĳ quum probabili ratione tinctas urinas conficiunt, qui quidem calidas occupant partes mundi, & habitant, quoniam ob eam causam nullum potest iudicium in lapsu corporis esse, de quo præsertim non certior medicus etiam atque etiam fieret. Duodecima præclarum illud præcipit, quod

quod quidem & ad eſum, & ad medici
nam pertinet. Hoc autem fieri poteſt,
ſi quis maiorem in modum calida fercu
la comedit ea, quæ quidem talia inuenta
ſunt, Allium, piper, crocus, rheubarba-
rum, caſſia, ſcammonea, & ſi qua eiuſ-
modi & ſimilia ſunt, de quibus colora-
tur per aliquot etiam horas urina. Trede
13, cima ea eſt, quæ opera artificum perpen
dit, quoniam potiſſimum meo quidem
iudicio quum & piſcatores, ſimul & ſcri
ptores ipſam urinam remiſſam faciunt,
fabri uero eam incenſam, & ij habent,
qui duriſſimos, frequentiſſimos, maxi-
mos labores ſubeunt. Decima quarta
14, quàm tenuiter, quàm curioſe accidentia
animi diſſerit. Nam lotium ira colorat, ti
mor remittit, gaudium temperat, triſtitia
perturbat, & ea, quæ ſunt his ſimilia.
15, Decimaquinta eſt, quum hij flammeam
urinam & croceam, ac tenuem mingũt,
& quàm modicam hypoſtaſin, & raram
pariunt, qui multum, & ſæpe ieiunant,
qui

qui autem faciunt contrarium uictum, ij urinam remiſſam colligunt. Iſta eſt ſedecima, quòd longæ uigiliȩ totam quidem communiter urinam incẽdunt, ſomnus aũt magis atq; magis remittit. Decimaſeptima, cõtinuus'ne labor? immoderatus ne coitus? eiuſmodi ne quidem cætera urinam inflammant & tingunt? quod ſi iſta continuentur quidẽ, nonne urina remittitur propter maximam debilitatem uirtutis? Decimaoctaua, Cauẽdum eſt frigidȩ aquæ balneum, quod quum abundantiam urinæ remiſſæ, tum ſacietatem gignere, & facere poſſet. Si prorſus quidem etiam continuetur, balneum uero à principio calidæ aquæ incendit, ſi quoq; & nimis multũ, & nimis diu cõtinuetur, urinam remittit propter certã cauſam. Decimanona, Coloratam ne mingunt urinam macri homines, atque graciles? remiſſam uero propter prauam, atq; inutilem humiditatem, uel potius copiam, ac multitudinem phlegmatis pin-

 matis pin-

20, de mu-
liere,

matis pingues, & obesi faciunt. Vigesima, urina iudicatur, utrum uiri, an mulieris sit. Vrina mulieris magis crassa, magis alba, minus pulchra, quàm uiri esse solet. Hoc quidem dumtaxat sit uerum, quum masculorum urinã moueamus, apprime turbatur, atq; etiam ad superiorem partem non minima quidem turbatio eius surgit & ascendit. Etenim in ea quanta turbatio fit, metiuntur differentiam sexus medici. Non igitur modica ex motione mulieris urina turbatur, at ergo uiolentia opus est, neq; caret spuma rotunda super cacumen, aut uerticẽ suum. Si nonnunquam turbida fuerit, omnino gracilis eius turbatio, & ea quidem summatim cognoscitur. Vigesima prima, Nemo sapiens est, qui non prægnantium semper tam claram, tam lucidam, tam uariam urinã iudicare possit. Quod quidem rudimentum, quod signum Auicenna excellentissimus medicus illustrauit, & scripsit. Nam quum

21, de
gravid.

earum

earum omnis urina in principio quasi quendam bombicem carminatum habet, in qua ualde aut ascendentia aut descendentia grana quædam nigra apparent, Sed illa in fine urina sicut aut atramentum, aut sordicies est. Nam hoc idẽ argumentum doctus & sapiens quidam Neotericus addidit, quod maxime iudicat nõ citrinas à primo mense, & à secundo, & à tertio solum prægnantium urinas esse, sed communiter pallidas etiam usq; ad sextum mensem, obstaculo excepto morbi, non ad aliud quicq̃, quàm ad subalbedinem declinãtes. Sed omnis prægnantium urina clara in sua superficie nebulam habet, & carminatum in medio bombicem esse ostendit, in qua quædam grana, ut supra dixi, aut ascendentia aut descendentia apparent. Sed in conceptiõis medio, ut præsertim res magnas illas quidem, & maxime in sexto, & septimo mense, nec non ultra aliquantulum non dissimiles aquæ doctis-

 simus

ſimus quiſq; inſpiciat; In qua tanquam bullitos, ac coctos uitulorum aut pecudum pedes non excorticatos eſſe putamus. Id tum cauſa temporis, tum multarum neceſſitatum fit, quæ ad prægnantes pertinent. Nam quidem impedimento facto ſanguinis menſtrui, & quadam confirmata retentione, natura omnis matricis, & fortitudo exiſtens, aliquid etiam fruſtillatim ſanguinis retēti expellit, per poros, & meatus, qui propriam mixturam habere ſolet cum urina, talem ut ſpectemus, ſine aliqua dubitatione colorem facere publico aſpectu poteſt. In fine autem conceptionis, fortis in matula & conſtans rubedo apparet. Quum autem maxime manu matula mouetur, tum penitus magis turbida efficitur, quia plane tum magis menſtrui ſanguinis craſſitudo retenta diſſoluitur. Vigeſi
22 maſecunda, Non enim urina modo hominis differt ab urina animalium, pecorum, quadrupedum, ſed etiam ab alijs li

quoribus,

quoribus, succis, confectionibus, uino cretico, hydromelle, ac similibus cæteris. Quapropter urina hominis quanto propius est, tanto semper spissior oculis cernitur, aut quanto longius quidem manu extenditur, tanto ea clarior, & subtilior apparet. Quod in alijs urinis, ac multo etiam magis in ipsis liquoribus tale nihil reperitur. Nam quum urina hominis ab alijs liquoribus cognoscitur quatuor modis, Vno modo, quanto plus adpropinquatur urina hominis, tanto spissior quidem apparet. Liquores autem dissimile signum & contrarium & portendunt, & denunciant. Altero modo, adducitur neque mancum neque mutilum testimonium, & sumitur à circulo, nam quum & ipsa re, & manifestis elogijs nullus in alijs liquoribus circulus aut rubeus, aut citrinus sit, Sed quoniam in urina publicus, atque rectus cum elogio ipse circulus apparet, atque etiam cum contentis euidentissimis in cō

plexionibus

Urina hominis ab alijs ut cognoscat

qua fieri possit. Hoc solum ei prodest, quod ut uehementer faciat medicum etiam atque etiam sagacem, prudentem & doctum. Prima regula, siquando urina pauca, crassa, globosa apparet, deinde illa quidem in substantia & forma mediocris aduenit, hæc eadem maxime humanam sanitatem significat, si qua contrariam dispositionem haberet, ea languorem, ægritudinem, morbum corporis significare potest. Si uero multa, ac tenuis in principio morborum palam aut uere iudicatur, postea quum mediocris in colore, tum in substantia, aut in quantitate apparet, in ea optima sanitatis declarari poterunt signa. Secunda regula, Vrina mirificè conturbata præsertim ista similitudine, proportione, comparatione, in qua omnes urinas & animantium & quadrupedum esse ferunt, simul aut spissa, aut confusa, & præsentem, & præteritum, & futurum capitis dolorem quasi communiter repræsen-

tat.

1a regula ad prognosticandum ex urina sumpta

2.

tat. Tertia regula, si aut profluat, aut ueni at aut egrediatur per crisis & mundificationis uiã urina, ex tali occasione multus quum occipitis, tum sincipitis, ac uniuersi capitis dolor reperitur, sed tandem planè aufertur. Quarta regula, quando quis laboriosum, & premens apostema ex uentositate patitur, si quàm repentina urina non modo superuenerit, sed etiam quàm multa, magnificam liberationem, & publicam resolutionem apostematis enunciat. Quinta regula, superueniens multa, & spissa urina in his febribus, quæ laboriosissimæ sunt, in omni dumtaxat die decretorio apparens, idoneam significat apostematis & liberationem, & fugam, illud in partibus corporis extremis generari sine ullo dubio deberet, quod durare scilicet ad longam capedinem aut interuallum temporis posset, id quũ per sanguinis fluxum è naribus quàm citissime finiretur. Sexta regula, Quum aut aliquid sanguinis in urina, aut

na, aut cõtentum crassum apparet, per-
inde ac coagulatus esset sanguis quibus-
dam filis plenus, aut etiam si manifestissi
mis notis quasi sanguis appareat, simili
ter non tam rupturam uenæ, quàm ulce
rationem aut in renibus, aut in uesica,
aut in tramitibus urinæ, aut in uijs de-
monstrat. Talis autem particula non sit
aliena à ueritate, ubi aliqua pullulat ægri
tudo, ibi præterea coniunctus membro
7 ipse dolor sentitur. Septima regula, Si ue
ro & sana & carnosa quædam contenta
in urina appareant, in his ulceratio omni
no praua esse significatur. Si contenta
sunt, quæ sicuti pilli appareant. Num
modo ea crassos, modo uiscosos humo
res abundare in concauitate renum ostẽ
8 dunt. Octaua regula, Si quis mingit aut
multum, aut sæpe, is aut raro, aut mo-
dicum excrementum alui eijcit, idem
enim sæpissime contrarium contingere
potest. Nona regula, Quãdo in flagran
9 tissimis caumatibus, & continuis febri-
bus nec

bus nec laudabilia, nec ſalubria, quaſi ad modum tritici paulum confracti con tenta apparent, proximam ne mortem, aut longam ægritudinem notant, atque expetunt: Decima regula, Mirãdum in 10
modũ lata hypoſtaſis non modo in par te inferiore, uerũ etiam in ſuperiore un- deuis acuta, ſimul & rubea, improui ſam, atqꝫ acutam ægritudinem indicat non uulgariter. Vndecima regula, Si ue 11
ro ipſa tenuitas, aut acumen hypoſtaſis, ſi color quoqꝫ eius rubeus ſpectatur, un decunqꝫ locupletiſſimis cholericam qui dem materiam teſtimonijs peccare ſi- gnificat. Duodecima regula, Quod in 12
morbo acuto oleacea urina, quicquid futurum ſit, id quidem nihil aliud, quàm mortem ægri triſtem, & miſeram omni in ſeptimo die adeſſe nunciat. At id fieri ſic ſanè poteſt, ſi quarto die huiuſcemo- di urina apparet. Tredecima regula, Si 13
diſtantes, ſi differentes urinæ ſint, quum ijſdem modis mutationem facilem innu

unt,quibus uarietatem essent terminatu ræ,quum sine ullo dubio hodie urina sit unius dispositionis, cras alterius, sic modo deinceps spicei, & pallidi & fusci coloris, si non ignoramus, etiam dissimilis. Ergo principalibus causis admirabilem, & uariã humorum perturbationẽ euulgat, nonne sic se res habẽt? Quum enim non concordi ratione natura potens sit id agere, quod necessarium est propter aut magnam aut ueram diuersitatem materiæ. Decimaquarta regula, Vrina nigra, pauca, pinguis tot malis & prauis signis septa in colore suo, grauẽ & molestam ægritudinem, mortemq́ postea certissimam notat. Decimaquinta, Si urina cum malo quodã colore conjuncta sit, malum ægro significat, sed quum infirmus aliquis quanto habere potest copiosiorem, tanto ne magis ad salutem, & incolumitatem suam accedet? Sedecima, Vrina diuersarum dispositionum, quæ quandoq; uehementer

multa

multa mingitur, quandoque admodum pauca, quandoque perniciosissime retinetur, sic omnem offensionem, pugnã, laborem naturæ significat. Ob eam rem hæc putatur significatio mirum in modum periculosa. Decimaseptima, Multitudo in acutis morbis urinæ, quum quidem nulla post ipsam requies aduenit, idcirco aut spasmum ex caumate, aut æthicam febrem diuulgat. Decima octaua, Vrina uero uirginum aut spectetur, aut etiam probetur, aut hoc pacto digna iudicetur, quæ profecto in tempore sanitatis aut ad iustitiam, aut ad temperaturam suam declinans lucida tantummodo esse & pura debeat. At id quidem semper proprium eius signum est nullã continere maculam, nihil impuritatis præstare. Quum uero apud doctissimos ea signa confirmata ampliter sunt, quod lucidæ, quod claræ, quod puræ, quod quandoq; albæ, quandoq; glaucæ aut sunt urinæ uirginum, aut apparent.

rent. Si autem in discernendo, & in declarando iudicio urinæ coloris aurei sunt, tum ponderosæ, tum supernatantes publica quadam pinguedine uoluntatē coëundi, & animum designāt. Hoc igitur uerum quum nisi in corruptis esset, tum denicꝫ in mulierculis uiciatis diceretur. Hæc turbulenta similiter urina non solum hominis sani, uerum etiam mulieris ualde immoderatam uenerem, & quàm maximum coitus desiderium designat. Primum illud notandum sit, quòd fœtorem sæpius nigra urina nauseabundum parit per adustionem. Dein de plane diuulsa eius hypostasis erit. Quid multa? sic postea in ea non tantus fœtor erit, sic propterea quasi nō sentietur. Per mortificationem autem illam, quæ ex imbecillitate, ac debilitate uirtutis sit, ipsa re intolerabilis erit. Quum uero urina nigra in colore tum spissa in substantia, necnō multa in quantitate cū nigro in fundo urinæ residente sedimine solutio

ne, ſolutionem menſtruorum ſignat, ut id creditur quod per uiam criſis fieri poteſt. Quid multa? Primam igitur regulã, & ualde utilẽ & nimis communem, diligenter in urina quidem notandam eſſe ferunt, quam ſi præcedere colorem liuidum uideamus, mortificationem portendit. Secunda regula, Quum urina nigra uiridi colore præcedente ita liuida, ita lucida ſit, ut cornu, extremam aduſtionem declarat. Tertia regula, Nigra in colore urina, & potiſſimũ in quantitate multa, liberam integramq́ ſolutiõem quartanæ oſtẽdit. Quarta regula, Quando nigra urina ſit, ut fertur, ſupra tenuis, infra ſpiſſa cum illis ipſis reſidentibus nigris, admirabilem purgationem melancholiæ oſtendit. Quinta regula, Multa in quantitate urina nigra cum hypoſtaſi nigra non tam in die decretorio, quàm in cauſone febre ſuperueniens, cum frequentiſſimis, ac intemperatiſſimis uigilijs & cũ quadam immodica ſurditate au

rium, propinquam per sanguinis fluxũ ê naribus crisim, & futuram significat quæ cum bonis, & saluis & fortunatis signis salutem, cum uero aduersis, & malis mortem minatur. Sexta regula, Quid urina nigra, & quantitate pauca; quid in odore fœtida; & opima nisi in caumatibus, & ardoribus, & omnibus febribus acutis mortem manifestat. Septima regula, Non modo in quauis lenta febre angustiam, sed etiam defectionem, & nonnunquam amentiam urina nigra, ac tenuis significat. Octaua regula, Ea nigra urina, quæ uariã in quantitate, & multam spissitudinem continet, potest uniuersam tanquam in propatulo melancholiæ purgationem, & solutionem significare. Nona regula, Non modo urina nigra, & subtilis in substantia, uerumetiam in ardore quartanæ febris, & multum oleacea mortem nunciat, aut propinquam in senioribus epilepsiam. Decima regula, Hæc urina re

uera nigra, & spissa in substantia cum co
lore nigro in principio morbi cum tan-
tis & tam bonis testimoniis quasi in se-
ptimum diem permanens simul cum tin
cta hypostasi aduenientis caliditatis rati
onē notat. Vndecima regula, Nigra uē
ro urina, & spissa quid aliud sibi uult in
morbo pleuritico habens hypostasin di
uisi, & dispersi coloris, quàm prope-
diem mortem adesse? Duodecima regu-
la, Ecquid nigra, & quid pauca aliud in
febre habet, quàm illum quidem contra
ctum significare, quem spasmum scho-
la medicorum uocat. Tredecima regu
la, Nigra quidem nō tam cum citrina, q̄
cum nigra spuma propter quendam li
uorem primum in iecore, deinceps in lie
ne magnam ictericiam enotat. Decima
quarta regula, Nigra profecto tāquam
rubigo ferri cum lenta febre stranguriā
exponit. Decimaquinta regula, quod ita
mala urina nigra spectatur, uel quod ita
in febre acuta pessima est, publicam

 mortem

signa ſigno clara ...urinæ nigræ

mortem, & propinquam caloris natura lis extinctionem, & ſimul ſpiritus diuulgat. Quum plures igitur ſignificationes urinæ nigræ apud medicos inuētę ſunt, eas addere neceſſe eſt. Sed ſi quum urinā nigram attenderis, & ſpiſſam, & multam cum ſedimine nigro, ſubitam uidebis ſolutionem mēſtruorum. Si ſaltem nigra, & fœtida, & oleacea cum nonnulla & renum, & ueſicæ ſanie ipſa in continua febre apparuerit, tum notiſſima mors præſto eſt. Si nigra, craſſa, pauca cum purulento ſedimine apparuerit, ſpontaneam apoſtematis renum rupturam ſignificat non fallaci iudicio. Vbi nigra, craſſa, & pauca maiorem in modum in quantitate ſit, ibi ſine dubio apoſtematis rupturam ueſicæ eſſe poſſe. Quod ſi nigra eſt in tanta quantitate, quanta undique pannum tingit, decretoriam enim expulſionem, & bonum ſignum præſagit, aſpernaturq; contrarium. Nihil tam malum eſt ſecundum infirmitatem ſe-

num,

num, quàm urina nigra, quoniam in utroq; ſexu mirandum in modum periculoſum ſignum eſſe poteſt. Nigra enim aquoſa in ſingulis, & omnibus ætatibus aut ipſa peſſima eſt, ut antiquis medicis eſt uiſum, aut certe optimis rationibus præſentem eſſe perditionem ante alia omnia ſignificat. Itemq; in mulierculis urina multum nigra, ut Galeno placet, ſi quempiam ruborem, qui publicus ſit, aliquantulũ mota ſumpſerit, aut futuram purgationem, aut ſolutionem menſtruorum repræſentat. Quicquid enim urina in truculentiſſimis febribus apprimè cum paruis fruſtis gignit, id mortale dicitur, ſi tantummodo, & impenſe pauca apparet. Ad amuſſim autẽ urina nigra, hoc eſt, abſolute, ac perfecte nigra quamprimũ apparuerit, hinc per magnum incendium, hinc atrox frigus, hinc horribilis mors, hinc uictoria caloris naturalis, hinc criſis, hinc expulſio naturæ ſcaturit, qua copioſiſſima choleræ

nigræ ſuperfluitas exibilatur, explodi-tur, eijcitur. Si tota enim urina craſſa, ſeu pinguis eſt, quàm fortibus, & uarijs rationibus ſolutionem purgationemq́ melancholici humoris manifeſtare poteſt. Quamobrem quoniam hoc prorſus idem aut in quartana uult aut nonnunquam in alijs febribus, ſpaſmum declarat, atq; enodat. Atq; nigra urina tenuis ualde raro reperitur, ſed communiter quum craſſa, tum maxime pinguis apparet. Si urina enim nigra quaſi ſanguinea quadam obſcuritate in apoſtemate pleuritico apparuiſſet, illam ægroti mortem ſignificat. Sed craſſa, & nigra propter multas cauſas in acutis febribus ſpaſmũ, & propinquitatem mortis denuntiat. Si quum aliqua alienatio affuerit, aut totum ſumendi cibi deſiderium, aut omnis uis exulauerit appetitus. Vrinam quoque nigram, atq; fœtidam ſine notabili ueſicę cruciatu, magis ac magis mortalem eſſe ferunt. Nonnunquam enim

iſta

ista nigra urina plusquam salubris contra mortem est, quæ adeo aut in lapidibus, aut in morbis renum manat, & prouenit ex humoribus uiscosis. Nonne nigra etiam mala dicitur, non modo renũ, sed etiã uesicæ in ægritudinibus? Quando ibidem flagrantissimum incendium comperitur, & patet, supra enim dictis membris tum cancer tum ulcera praua denunciat. Quòd si urina nigra pauca fœtens in acutis febribus micta acciderit, dubitat nemo, quin breui imbecillus sit periturus, si in uesica nulla uisa fuerit doloris anxietas, nullum perturbationis malum. Num uero illa est laudabilis urina nigra? quæ cum spissa substãtia grandi comitata quantitate in quartanis ueniens tanta humorum multitudine non naturæ purgationem solum, uerumetiã solutionem quartanæ significat. Quid enim certius potest significare, quàm præsentem mẽstruorum fluxũ. Omnis quidem sanguinolenta urina in mulieribus appa-

bus apparens: Nonnunquam uero non tam in plerisque pueris, quàm in ipsis mulieribus quodam modico tempore praecedente subitam uenæ rupturam in renibus ostendere potest. Si enim nigra sine febribus, sine alijs morbis sola menstruorum in retentione ad tingendam urinam etiam aliquid roboris dare potest, tum ipsa mulier cito omnia sanitatis officia, & munera assequetur. Nigra autem sicut in febre ipsum spasmum atrocem, ac furiosum significat ex siccitate. Atque quum hæc eadem prorsus nigra in peracutis febribus optimo quidem iure mortem denunciat, in qua quidem imbecillus sudorem capitis, quum colli, tum dorsi, ac non mediocrem difficultatem suspirij quàm sæpissime patitur. Nigra, quam præcedit nihil tam certũ, nihil tam uerum, nihil tam præcipuum, quàm citrinus color, citrinam ictericiam designat. Nigra, quam neque simpliciter, neque frustra color fuscus præcedit, aut nigram,

nigram, aut ſpleneticam ictericiam demonſtrat. Vrina nigra, quam anteiuit, et præceſſit uiridis, ea declinans ad uiriditatem, ſi nem uitæ auguratur. Nigra autẽ, quæ cum ſpurco, ac feculento humore, & in fundo matulæ reſidente propria mulieris eſt, palam profluuium mẽſtruorum præſens re ipſa commonſtrat, & indicat. Atqui in primis, & prorſus id dici poteſt, quòd quum hæc urina nigra nõ modicam quantitatem mirabiliter contineret, quæ coram exiſtens in quartana febre, & cruciatibus dorſi, & doloribus matricis, laudabilem nimirum, & iucundam corporis ſanitatem prædicit. Item enim magnitudo urinæ nigræ, & ſpiſſæ cum rotundo ſedimine, atq; affluenti hypocondriorum intenſiõe aut ſtante, aut manente ſudore, aut furente apoſtemate, in aliqua parte tantummodo prædicat moriturum hominem. Nunquid enim nigra, ſpiſſa, multa, quã mulier carẽs menſtruis perſępe mingit, profluuiũ

menſtruorum

P^a regula nem, & proprias regulas ponunt, Quarum prima est, Quādo liuida in colore, atq; spissa in substantia urina inferius sit, non fugiendam, & horrendam, & prae se ferendam mortificationem membri, sed humoris significat. Secunda regula, Si urinam nigram in colore, & liuidam absq; residentibus consideramus, prauam nō tam noxiorum humorum, quàm membrorum corruptionem significat. Potest autem illa ipsa liuiditas aboleri, exterminari, aut labi, aut malū, aut grauem languorem magnopere importare. Quamobrem publicat mortificationem esse non secundum initium in quibusdam humoribus fixum, sed in quibusdam membris corroboratum, & confirmatum. Tertia regula, si urinam in colore liuidam spectamus, in quantitate paucam uidemus, in frequentia mictam intuemur, quae ostendit multam stranguriam in anxietate, plures morsus in exitu. Ergo omnia haec fiunt, quando totam

do totam aut faciem; aut formam, aut ſubſtantiam occupare urina liuida uidetur, ſed quando pro parte aliqua modica liuet. Ea autem aut paruum, aut medium emitriteum deſignat. Sin autem pauca ea accidit, quæ repentino aliquo motu apparet, aut ea eſt, quæ promptas, & paratas reſolutiones, & mucidas habet, ſtatim ob eam ipſam cauſam non ſolum turbulenta, ſed etiam turpis, & impura redditur. Quando enim urina liuida nõ notabilis ſolũ cum pertinaci quodam liuore circuli, ſed etiam admirabilis uiſa ſit, formidandam epilepſiam magni periculi, & ineuitabilis prædicat, Ideo quoniam defectionem ſpirituum denotat, quæ uita uacat, expanſionem quoq; animatorum membrorum non celat, non abnuit. Liuida autem urina maxime pernicioſam, & lætalem aſcliten indicat propter corruptionem concoctionis ſecundæ. Id nonnunquam liuidæ urinæ proprium eſt, quòd horrendam febrem

 ſynochum

ſynochum de corruptione ſanguinis ſi-
gnificat, quo quidem corrupto corpus
uehementer inficitur. Id quidem maxi-
mum eſſe poteſt, quod aut rupturam ue
næ ſignificat, aut aliquam pituitam, aut
ſtranguriam, aut tale aliquid ex integra
ſpirituum infectione demonſtrat, qui
tanquam ex graui perturbatione humo
rum per ipſa loca paſſa tranſeũt. At ſub
ijſdem rationibus aliquando pleureſim,
uel peripleumoniam, quod eſt apoſte-
ma pulmonis, aut arteticam paſſionem,
quę quoquo modo fit, & naſcitur in iun
cturis, uel phthiſim hominum ſuffoca-
tricem deſignat. Attamen illud eſt non
modo inquirendum, uerum etiam di-
ſtinguendum. Quid enim in urina liuor
manifeſtus, quid multus, quid paucus,
ſi prȩſto fuerit, aut magis uerum, aut ma
gis conueniens, iudicare aut præſagire
poteſt, multus enim oſtendit non aliam
febrem, quàm cõtinuam, paucus autem
interpollatam. Notandum eſt igitur, ut

quàm

quàm primum ad album color emliuor accedere debeat, quia quodammodo, et communiter materia phlegmatica inter uasa putrescit. At enim omnis urina in colore plumbea, aut tantummodo liuida tum congelationem, tum caloris naturalis mortificationem planè ostendit. Sed tamen non tam obnoxium hepatis, quàm hypocondriorum dolorem liuida, ac tenuis urina repræsentat. Sed hæc hactenus commemoranda sint. Quòd si urina liuet, hoc fit propter duodecim causas documentum manifestum. Quarum autem sex sunt, quæ quum præsertim à membris sumantur, earum conueniẽs proprietas interpretari debet. Aliæ autem sex quoquo modo à syntomate ducuntur. Quæ uero in primis membrorum uitio liuet, hæc simul aut uitio naturalium, aut spiritualium, hoc est epatis, matricis, intestinorum liuet, aut postremo uesicæ uitio liuet. Liuida autem præcipuo quodam syntomatum uicio,

uel quodam uicio arctetici doloris ex duplici materia, uel ex apostemate, uel ex perturbatione humorum, uel ex eorundem consumptione, uel ex adustione, uel ex mortificatione fit, & nascitur. Sed post has regulas uenio ad præclara plurimorum authorum documenta, ex quibus medicinæ studiosis uiris copiosissimè, & diligentissimè interpretabitur color liuidus. Vrina liuida in qualibet parte, quæ ad prauissimos humores attinet, in omni ægritudine signum certissimum mortis habet. Item liuida quodam modo subnigra, quam si tantummodo urina uiridis præcessisset, nonne mortem insinuat? Quid enim in primis hæc urina, aut cum ruina hominis, aut cum periculo epilepsiam significat, in qua plumbeus iste quidem circulus, aut liuidus in parte superiore apparet. Quid de hac liuida secundum partem urina loquar, quæ tam ingentem hydropis tam prauam tam periculosam

riculoſam tabem enotat. Liuida quoque in dominante hydrope curationem difficilem tot indicijs, tot teſtimonijs, & omnibus notis publicis manifeſtat. Liuidã in ſtomachi moleſtiſſima febre fieri poſſe quis negat? Hæc porro iudicata liuida eſt quum ſecundum partem ſuperficiei tam ſimul ſecundum mediam partem cum quibuſdam granis minutis, & diuiſis, & ſeparatis, quę quidem aut pleuresim, aut peripleumoniã repræſentat. Si potiſſimum liuida in febre ethica ſit, aut futuram mortem, aut propinquam deſignat. Liuida autem in omni occluſione menſtruorum, uel potius retentiõe poterit eſſe, quicquid quoque in omni ethica liuida habet. Id igitur finem uitæ ſignificat. Quodam enim modo liuida in phreneſi, in qua tremor cordis fit, mortem teſtificatur cum uita commutare. At liuida tantorum malorum, & pauca admodum, & nonnunquam paululum & uix micta, ſignificat animã efflare. Si

re. Si qua liuida cum furfuribus eſt, ea non ſolum uehementem dolorem, ſed etiam conturbationem circa pectinem intolerabilem accidere ſignificat. Si autẽ urina liuida, & remiſſa, & ſpiſſa ſit, ſimul & liuentia quædam corpuſcula, & diffuſa in ſe contineat, permagnam innuit retentionem menſtruorum. Sed potiſſimũ liuida in multam partem uerè, uehementerq́ turbulenta nec rectius quicquam repræſentare, quàm alui fluxum poteſt. Si enim liuida tot albis, tot longis reſolutionibus appareat, ingentem abundantiam phlegmatis liquido declarat, & multis modis circa inteſtina moleſtus, & grauis, tum nocturnus, tum diurnus dolor ſentitur. Nimirum quoq́ liuida ſpiſſa grauiter, conſtanter, apprimè obnoxium dolorem epatis ſignificare ſolet, ſi tantummodo idem dolor in dextro latere figeret. Nam liuida totius circuli plurimis granis quum referta ſit, atrociſſimum uicium pectoris indicat.

Nihilomin us

Nihilominus enim ista liuida, & pauca cum quibusdam longis, & uarijs præsertim resolutionibus paruum quidem emitriteum patefacit, & innuit. Atqui etiam hanc liuidam uidemus, Primum non simulate, deinde publice, ac communiter apparere in arteticis doloribus, in quibus non modo maximum rheuma, sed etiam incredibile malum à parte superiore per spinam dorsi, nõ tam ad scyam, quàm ad genua pendet, ac descendit. LIVIDA, quæ mirifica frusta in suis superfluitatibus, suisq; resolutionibus ostenderit, & præstiterit, summum dolorem arteticum, perpetua corporis debilitate, explorataq; angustia denunciat. Liuida quoq; ad diuersas partes, tum ex pituita, tum ex rheumate accidere solet. Quod si liuida usque ad duntaxat mediam regionem manat, dehinc ruffa uel subruffa sit, profecto, aut ulcera plumonis, aut apostemata indicare potest. Nonnunquam inferius quidem talis fit,

qualem carops barbari uocant, & hoc quum in pleureſi, tum in peripleumonia contingit, tamen planiſſime in pleureſi non rubea ſolum, uel ſubrubea, ſed ſpiſſa cum appoſita manu etiam apparet in ſuperficie liuida, ob rationem ſanguinis. Nunc aggrediar ad illas regulas urinæ albæ, quarum prima eſt: Vrina tam perſpicue alba, ſplendida, ac tenuis in colore ipſo, cum reſolutione cinerea, non ſolum occluſionem ſplenis manifeſtam, & diſcoloris faciei commutationē ſed etiam uariam paſſionem, ſomnolentam uitam, inertiam & pigritiam per totum corpus, nec non acerbam in parte ſiniſtra grauitatem, & dolorem ſignificat. Secunda, Profecto urina alba, ac tenuis, in principio aduerſæ ualetudinis, quæ poſtea confeſtim inſpiſſatur communicante quodam liuore, & participante, uel apparente obſcuritate, quaſi in ſuperiore parte, tum longam melancholiæ, tum phlegmatis ægritudinem denotat.

color albus et eius regule.

denotat. Tertia, Vrina & albi coloris, & multæ quantitatis, nimiam de facto crapulam præcessisse significat. Quarta, Vrina albi coloris, & spissæ substantiæ cum harenoso puluere, calculum generat, & importat, Quòd si eadem albi coloris, & ipsa in substantia subtilis alicui uisa fuerit, omnino significat amentiam, & furorem. Sed intelligendum est, ubi febres cōtinuæ sint, ibi de cholera significationem alienationis esse oportet.

Quinta, Si eiusmodi quandoque rubea urina in acutis febribus apparuerit simul, & postea cum uiriditate circuli dealbetur, insinuat prope adesse phrenesim. Sexta, Vrina alba, ac tenuis, non modo frequenter ad mingendum parata, uerumetiam ad tolerandum difficilis, cum carneis resolutionibus multitudinē dyabetis significat. Septima, Vrina alba quidem, ac tenuis, non tam cum rotundis, quàm cum minutissimis resolutionibus, admodum acerbum, amarum, ac

inimicum articulorum dolorem enotat. Octaua, Quis est, qui non magnā potestatē melancholiæ significare albam ac tenuem urinam iudicat? Nona, Vrina alba, ac tenuis munita cum quadā obscuritate, quodamq́ue liuore cincta, ualde subitam uidelicet, & magnam Epilepsiæ uim indicat. Decima, Vrina alba, ac tenuis, aut repentinam, aut perniciosam syncopin demonstrat, & hoc non modo ex crudo, sed etiam ex melancholico humore, propter crassam fumorum resolutionem fit. Vndecima, At nimis alba urina, & nimis tenuis, quartanam denunciat, quæ profecto ex tā multa, & naturali melancholia nascitur, & si ad similitudinem radijs referta, ac plena uirgultis apparuerit in multo tempore.

Duodecima, Alba, ac tenuis, ac multū globosa urina Amphimerinam significat, id est cōtinuam ipsam febrem, quæ quidem cum publicis testimonijs ex uitreo phlegmate manat. Primum igitur

semper

ſemper eſt pauca, deinde admodum multa, ac tenuis. Decimatertia, Quum quidem alba urina ſit ſubtilis, importuniſſimam retentionem menſtruorum cum & ſquamis, & reſolutionibus oſtendit. Decimaquarta, Vrina alba, ac tenuis, cum tot & tantis reſolutionibus omne profluuium, propinquum, præſentaneum, certum, condilomatum, hoc eſt hemorrhoidum ſignificat. Decimaquinta, Vrina alba, quid cum claritate, quid cum uiriditate aliud, quàm ſcothonomiam ſignificat? Decimaſexta, An alba urina omni in ſene caloris naturalis defectum ſignificat? An ne malicioſam concoctiõem poteſt detegere quidem? Decimaſeptima, Vrina alba, & lactea, quum neq; integræ neq; puræ ſubſtantiæ ſit, nihil eſt, nihil obſtat, quin profecto phlegma copioſum dominari in quouis ægro repræſentet. Decimaoctaua, Iſta quidẽ alba ac tenuis urina efficacibus cauſis reſtrictionẽ menſtruorum

ſignificat,

ſignificat, quæ multum adhærentes in ſubſtantia, & ſubtiles reſolutiones cinereas coloris nigri, atque ſimul reſidentes in regione infima habet. Decimanona, Vrina autem alba in colore, aut ſpiſſa in ſubſtantia, aut craſſa, aut liuens, ſuperius cum tot reſolutionibus crinoidibus flaui & nigri coloris, nõ modo adhærentibus, ſed etiam reſidentibus in fundo, præcipitationem menſtruorum, & matricis ſignificat. Sed tandem quidem ueniamus ad illa augmẽta, quæ doctiſſimi medici in ſuis libris ſcripſerunt. Notat enim urina in qualibet parte oleacea, ſpiſſa, alba, hominẽ cadere in paſſionẽ ethicam. Nunquid oleacea in quouis morbo pernicioſa corporis, cauẽda, & timẽda dicitur? Veruntamen admirabilem calculi diſſolutionem, uel potius liquefactionem ſignificat nonnunquam. Quid enim in febribus plenius alba, quid uberius poſt ipſum colorem aut citrinum, aut tinctum, quàm febris uariationem

tionem, & permutationem ad quartanã notat? Nunquid alba ſimul, & ſecũdum partem plumbea prorſus ſine ulla hypoſtaſi mortem oppetere ſignificat? Alba enim, & tenuis non modo cum albis, ſed etiam cum rotundis reſolutionibus, perinde ac cum minutiſſimis atomis podagram, & chiragram ſignificat. Vrina uero alba, ac tenuis quàm multum, quàm ſæpe micta in ipſo deficientium febrium fine, non ſolum effimeram, ſed etiam quotidianam de phlegmate uitreo oſtendit. Atq; urina alba, & tenuis omnino diſtinctis granis plena, ſuperiori in circulo, uel dolorem articulorum, uel catarrhum exponit. Significat ne alba, ac tenuis modo ſuperiori in circulo plumbeo quaſi uirens morbum commitialem? Vrina autem alba, ac tenuis, & q̃ ſæpiſſime micta morſus ſtranguriæ oſtẽdit. Præcedente uero longo infirmitatis tempore urina alba ac tenuis nõ falſum, non fictũ hydropem euulgat. Sed hoc

quidem

quidem in urina alba, cum plumbeo circulo in parte superiori maxime est manifestum, quod grãdem in cerebro, quod periculosam oppilationem, aut epilepsiam ex crassa materia, aut phlegmatica, aut melancholica significat. Quod si uerum uidetur, om̃em quum frigidorum, tum etiam phlegmaticorum, aut crassorum, aut crudorum abũdantiam humorum demonstrat alba, & mucida urina. Nihil aũt præstantius habet alba, & spumosa, nihil quod magis significat, quàm molestissimum dolorem in leuo latere. Nihil enim lactea densa, modica, & inferius crassa, cum quibusdam squamis, nisi calculum, aut fluxum quidem alui sine ipsis squamis designat. Sed si est solũ lactea, subtilis, modica, in uesica atrocẽ lapidem demonstrat. Sic & alba & clara nihil aliud, quàm apostemata, & ulcera pulmonis declarat, si præsertim multa fuerit. Nonne hoc certum est, quòd alba, densa, nonnullis abundans granis,

tum

tum turbulenta, tum modica alui fluxũ insinuat? At uero alba, & turbulenta sicuti quadrupedum, ac pecorum, pungentem molestiam, & atrocem sinistri lateris quàm maxime significat. Quid lactea in acutis ægritudinibus aliud futurum, quàm interitum, & pernitiem hominis declarat? Quid alba in acutis febribus, post præsertim tincturã suam, quæ procul dubio præiuit, & præcessit, indicet raptum bilis ad aliquam partem corporis, in qua scatet apostema, aut duntaxat alui profluuium, aut raptum choleræ ad caput enotat. Vrina uero semilucida, purulenta, par colori fungi, ac cõsimilis, prauissimam in meatibus urinæ, ac renibus ulcerationem indicat, Quoniam omnem urinam purulentam iudicamus aut suspectam, & inuisam rupturam, aut grauem in meatibus urinæ ulcerationem significare posse. Alba enim & subtilis, quoquo modo tamen liuida sine sanie, ut ita colori fungi haud dissimilis

milis conueniat, ut nũquam erret, ut calculum cum in renibus tum in uesica signet. Nam illud quidem certũ est, quod urina quidem alba, & crassa in omni febre leni non modo incredibilem angustiam, sed etiam mirificum timorem designat. Quòd si ita crassa urina aliqua, & alba est sine hypostasi, ista ipsa timenda, & mala signa continet. Quid uero alba, ac crassa, ac pene oleacea aliud, quàm mortem oppetere significat? Quid alba, & crassa, & quasi nebulosa, ut spuma, nisi mortale signum habet? Alba enim quasi niueam nebulam continens, grauissimum dolorem in renibus primum, & postea longissimum morbum ostendit. Si quodam modo alba putris sit in febribus, idcirco stolidam mentis alienationem denunciat. Tamen alba, & crassa, si præsertim non se mutat in longo tempore, omnino lapidem futurum præsentit in renibus. Alba enim eadem subtilis, modica magno mali argumen-

to nonnihil in stomacho esse ostendit, quod concoqui commode non possit. Alba quidem, & spissa non modo in occipite dolorem ex phlegmate, uerum etiam continuam febrem ex phlegmate significat. Quid aliud præter terminationem febris illa alba, tenuis, ac multa innuit? Nónne alba scilicet quodã liuore circundata hydropem obnoxium signat? Modo alba, & subtilis cum nonnullis resolutionibus harenosis, incredibilem & atrocissimum dolorem renum commonstrat. Item alba, ac multa, quasi cum carneis resolutionibus stillicidium prædicat. Modo alba, ac tenuis cum tantis resolutionibus, nec non cum nigris superfluitatibus, matricis perturbationẽ designat. Modo in omni quidem acutæ febris initio alba, non cruditatem humoris solum, sed etiam caloris debilitatem, & morbi diuturnitatem designat. Sic uero urina multum alba in pueris teterrimum indicium est, si fuerit aquosa, nihil

 peius

peius habet, tum etiam in ſene ſtabilem, & longam ægritudinem manifeſtat. Vrina ſatis ſuperq́ꝫ quidem tenuis liberationem in hydrope, grauem in cauſone dolorem ſincipitis à calore, nonnunquã delirium, aut profluuium, aut eruptionẽ ſanguinis è naribus deſignat. Nunquid ſat ſeparatim, ſat diuiſim in ſuperiori circulo, granoſa, alba, ac tenuis urina, grauem artuum dolorem, ſeu ob iuſtas cauſas pituitam enotat. Alba quidem, ac tenuis, & quaſi plumbeo in circulo ſuperiori uirens comitialem morbum enotat. Simul enim urina mediocris tenuitatis alba, in ipſa febre commonſtrat lethargiam cum ratione, & perpetuo ſignificatu. Sic illa ipſa urina alba, quæ tantummodo mediocriter ſpiſſa, cum quadam gleba indigeſta eſſe uidetur, notat flagrantiſſimam febrem quotidianam de uitreo phlegmate. Quid cum ueniens urina in hominibus ſanis, & ſubtilis, & alba in primis ualde cum copioſo, ac

delicato cibo, frequentem, multam, uehementem potationem demonstrat, ex quo profecto fit, si potissimum exile, si tenue uinum sit. Quod doctissimus uir Theophilus in suo cōdice declarat. Quum uero in senibus talis plane urina tardam, & debilem uirtutem concoctionis designat. Si urina tanquam lac in molestissima stranguria sit, uitam amittere significat. An illa alba, & subtilis, & multum, & frequenter micta acrem stranguriam designat? Quis neget omnem albā & subtilem in ipso bileo morbo futurum, & horribilem hydropem indicare posse? Alba quidem, & subtilis, etiam in febre significationē habere pessimam dicitur. Vrina ne molestam in ancharum dolore quidē alba, & subtilis oppilationem in febre demonstrat? Alba uero cum admirabili corporis prurigine per uniuersum pectinem inferioris uentris multitudinem in uesica futuræ harenæ ostendit. An tandem alba, ac tenuis

quum in tertiana, tum in causone, aut eiusmodi febribus admodum adurentibus futuram phrenesim indicat? Num alba, lactea, tenuis, quæ omnino in principio febrium mala dicitur, nõ modo diuturnitatem febrium, aut ægritudinum, sed etiam in declinatione morborum solutionem indicat? Dummodo pauca fuerit. Vituperatur uero hæc lactea, ac pinguis, quæ quidem si in fine uenerit, aut uesicæ, aut renum calculũ indicat. Quid si plane alba, & clara, uelut aqua quidem, non tam cõcoctionis defectiõem, quàm nutrientis uirtutis debilitatem, aut oppilationem, aut deniq; utrunque, aut nonnũquam dyabeten significat. Quid si alba etiam, quæ prorsus spermati comparatur, quum admirandam phlegmaticorum, tum frigidorum, tum potius crudorum humorum, & notabilem quandam multitudinem, aut apoplexiam, aut similem ægritudinem ostendit. Si igitur hanc perniciosissimam pueri urinam

mingunt,

mingunt, illi ipſi participes comitialis morbi fiunt, Contrariam enim habet ſignificationem digeſtionis alba ſubtilis, & alba turbida, Vrina autem in acuta febre ſatis acido lacti ſimilis, ſatis par, uel ſignificat propinquam mortem, uel febrilis diſſenſiōem caloris, uel miram eius leuitatem, uel ſi calor in corporibus non exigue & exiliter factus leuior fuerit, confeſtim eiuſmodi urina imbecillum in conſumptionem membrorum, aut in phthiſim peruenturum indicat. Quid autem quæſito opus ſit, ſi urina alba, & ſpiſſa in ſubſtantia liuens parte ſuperiori quidem cum tot cinereis reſolutionibus, aut nimis adhærentibus non modo deſcenſum matricis ex aggrauante & onerante phlegmate oſtendit, ſed etiam ex lubricante. Quid? quum urina alba, & pinguis in teterrimis, & acutiſſimis morbis, apoſtemata in articulis nata, aut amouet aut explodit, quæ quandoq; ij ſentiunt, qui quâm acerbis,

& uehementibus tormentis angebātur, & diutiſſime laborioſam ægritudinem & obnoxiam ſuſtinebant, propter abun dantiam quandam pinguium humorū. Nónne autem alba, & quoquouerſus in ſubſtantia ſpiſſa ſine quolibet febriculoſo cruciatu, naturale phlegma abū dare, atq; effluere ſignificat? Nónne alba, & mediocriter ſpiſſa, quàm prauum & quàm acidum phlegma, ſine aliqua febre ſignificat redūdare? Prorſus uero alba, & modo medio ſubtilis ueniens in febre miram lethargiæ moleſtiam deſignat. Venio iam ad rubeam urinam, relinquo iſtam albam. Prima regula, Nunquid urina in colore rubea, nunquid in ſubſtātia tenuis, ac ſupra obumbrata, ac magis ſpiſſa, q̃ infra, nō modo ſimplicē tertianam, uerum etiā quidem in homine flegmatico, ac melācholico, tum potiſſimum in ſene, tum in muliere, duplicem tertianam ſignificat. Secunda, Nullus ardor epatis eſt, quem rubea, ac

tenuis

tenuis urina non declarat, atque significat, Si igitur in parte superiori, cum spuma aliquantulum crocea obumbrata fuerit, aut si tam longo tempore durauerit & permanserit ægritudo. Tertia, Vrina rubea cum mediocri spissitudine, & quoquouersus turbata, cum denique substantia inæquali & pura, continuam tertianã designat. Quarta, At urina rubea, circumcirca, & quoadeius spissa, nonnihil in superficie liuida, aut quodam uiridis pacto radicitus, emitriteum medium signat. Quinta, Item urina rubea, cũ adiũcto quodã liuore, & similiter cũ peculiari uiriditate in superficie modo dolorem laterum, modo pleuresim notat. Sexta, Nec quidquã aliud, quàm febrẽ synochum significat rubea, spissa, turbulenta & liuida cum pari fœtore respirationis. Septima, Vrina autem rubea uel subrubea sat in substantia spissa, quæ postea in parte superiori clara incipit fieri, simul etiam infra inspissari, maximam salutem

lutem notat. Si tantummodo uel contraria, uel opposita fuerit, è uita decedere significat. Octaua, Quid urina rubea, uel subrubea, tum spissa, tum turbulenta sine liuore, sine fœtore agit, nisi obnoxiam, & perpetuam inflammationem synochi demonstrat. Sed de his regulis hactenus, quæ quanquam sufficerent, tamen ad collecticia eruditissimorum hominum testimonia ueniamus. Si urina recte apparuerit ruffa, sicuti flauum aurum, moderatam habens temperatamque tenuitatem & æqualitatem, nónne sospitem, & sanum hominem cum uirtute significat? Si uero urina non modo talis in puero, uerum etiam in phlegmatico sene, aut in muliere apparet, quid aliud, nisi febrem importat? Potest ne continuam apud puerum, ac tertianam apud senem & mulierem significare, simul & quartanam, & offensionem iecoris in autumno? Omnis enim hæc laudabilis, & bona coloris rubei urina putatur quidem

tur quidem cum acuta febre, Sola enim hæc quidem urina cum hypoſtaſi nimis ſplendida, nimis alba, illam liberatiōem & diſſolutionem febris indicat. Atque iſta omnis rubea, modica tenuis quàm cito notat ex hac uita migrare. At quid uero rubea, & pauca cum hypoſtaſi fuſca, & turbida, niſi propediem expirare, niſi mori hominem notat? Rubea quidem pura, & modica, quum in tumido tum in periculoſo hydrope mortem cōminatur, Namq; hæc quoq; rubea tanq̄ ſanguis in peſtiferis & acutis febribus, citiſſimam necem ſignat. Rubea uero cum uomitu inſtar æris non tam miram aſperitatem linguæ, quàm mortem deſignat. Hoc enim credendū potius, quàm diffidēdum eſt, quòd ruffa, & alba in ſuperiori parte, non dolorem modo capitis, ſed etiam amentiam, & delirium deſignat. Iſta uero ruffa, & modica in ictericia, potius ſalutarem, quàm obnoxiam morbi diſſolutiōem denunciat. Iſta me-

diusfidius ruffa in ſubſtantia quoquo-
uerſus ſpiſſa cum granoſo, & liuido cir-
culo præſertim quàm turpia, & purulen
ta apoſtemata iam in inguinibus, iam in
genitalibus membris repræſentat. Nón-
ne iſta rubea, etiam non tã ſupra, q̃ infra
ſpiſſa & ſimul appoſita manu in ſuperfi
cie liuida, & oleacea cum tot, & tãtis cri
noidibus morbum æthicum monſtrat.
Id profecto compertũ eſt, quod rubea
quod ſubtilis, quod opima, iſtam articu
lorum paſſionem, iſtam mentis alienatio
nem ſignificat. Quoties igitur eſt hæc
rubea, & fœtida cum nigra hypoſtaſi,
& turbida, quaſi adipe plena, toties
omne ſanitatis malum uel potius ipſa
mors eſt. Vrina enim ſat quoadeius ru
bea ſine hypoſtaſi habet quidem certe
iudicium pernicioſiſſimum, & ſic rubea
in quauis paſſione hiliaca deſperatam,
minacem, mortalem notam denunciat.
At etiam rubea, & craſſa in acuta febre,
non modo acerbum capitis dolorem,
ſed

ſed etiam ſummam hypocondriorum, & colli grauitatem repræſentat. Adeo rubea hæc ut ſanguis, ut nigrum uinum ſine capitis dolore, Præterea ſi mala, ſi tetra in qualitate illa duret, & maneat, num breui futurus eſt in ueſicam calculus? Sed quid rubea quaſi quidem color ſanguinis modica, & ſubtilis, niſi pertimeſcēdam, & malam oſtentationē habet? Sed quoniam rubea tanq̄ color ſanguinis non tam in iſta acuta febre, q̄ quidem in ipſo terribili corporis & aſſiduo, & tetro dolore per hypocondrium dextrum nimis propinquum me tum, nimis magnum periculum facit. Quod ſi quis ſanguinem palam minxerit, is aut in ſuis uenam inciſam renibus patitur, aut miſera mulier in ſuis menſtruis angitur. Atque iſta quidem etiam, quæ faciem uini, quæ formam, quæ ſimilitudinem habet, & ad nigredinem declinat, quid tandem aut monſtrat, aut ſignificat, niſi magnificam, niſi conſtantem

ab ipſo

ab ipso morbo liberationem in senibus? Talis uero facta præsertim in fine morbi, in calculosos & prauos humores cõmutari uidetur. Est autem color subruffus, sic ut sanguini par, sic ut similis, sic ut crassam substantiam parit, qui porro longam ægritudinem notat. Sed illa ipsa rosacea urina, quæ multam, quæ albam bilem significat, præsertim si nebulã nigrã in parte media habuerit, an'ne lætale signum dicitur? Tamen si fusca etiã extiterit nostro in corpore caloribus succẽsis bilem torreri notat. Quid enim uult rubea, & clara, & multa, quàm publicam pulmonis caliditatem declarare? Synocham autem febrem rubea, & spissa, & si quo pacto etiam liuet, quotidianam notare solet. Potissimum fieri istum pungentem in latere dextro dolorem urina rubea & spissa, & turbida cõmonstrat, publicat, manifestat, Quàmprimũ ruffa ueluti spuma uini apparuerit, nunquid delirium significat? Certa enim res

est, q̄ ruffa cū nigra hypostasi insignem, & malā ægritudinem splenis indicat. At uero in morbis renum rubea quidem perseuerans calidum etiam atque etiam apostema significat. Modo enim commonstrat epiphemeram rubea sicuti rosa, si uero continuo aut proijciatur, aut mingatur, quotidianam designat. Quid autem ruffa, uel subruffa aliud, quæ non modo rotundas infra resolutiones, sed etiam supra albas quodammodo pinguis habet, quàm æthicam febrē indicat? At urina quidem tingēs, in qua pannus tinctus fit, uiciosissimam ictericiam designat. Quanto igitur ea magis rubea, quanto magis tincta est, tanto difficilius tinctura eius à panno depelli ac remoueri potest. Porro aut eo sanior, aut eo salubrior in ictericia dicitur, & simul à turpissima labe hominem liberat. Hæc quando uero urina alba tā modici ruboris in illa ipsa ictericia apparuerit, prauissimam futuri hydropis propinquitatem

quitatem denunciat. Nónne quidem doctiſſimis uiris uidetur? ea ſubruffa, clara ſpumoſa, quæ maiorem in dextro latere dolorem, quàm in ſiniſtro demonſtrat. Hæc enim ruffa, uel ſubruffa quoquouerſus ſpiſſa, quum ubertim, tum diſtincte liuens, cum appoſitione manus, num modico proceſſu tẽporis, quàm periculoſam pleureſim? uel num peripleumoniam? uel num quotidianã de ſalſo phlegmate cum pituita? uel num podagram, & chiragram de calida cauſa? uel num ſupremam aſcliten iterum atque iterum denunciat? Quid dicam de urina rubea, aut ſubrubea, quæ adeo palam, adeo diſtincte liuens, cum appoſitione manus in primis pleureſim annunciat. Rubicunda enim uel ſubrubicunda undiq; in ſubſtantia ſubtilis, & quoquo modo ut ignis liuens, & prorſus cum ſpuma apparens, quemadmodum medici experiuntur, ſignificat cauſoniden febrem. Sed ſi ſpiſſa quoquouerſus

fuerit

fuerit talis atque eiusdem generis urina non liuens, ea planissime synocham enotat. Si autem mediocrem quandam tenuitatem obtinuerit, facillime iudicatur causonem adesse, Quod si etiam mediocrem spissitudinem habuerit, perfacile iudicium est ad synochem. Si qua ruffa cum nebula apparet, ea publicam mentis alienatiōem uulgat, & diuinat. Quid enim rubea ut purpura, ut color iecoris, quid spissa, ualde turbulenta, ualde feculenta, simul cum nonnullis corporibus nigris, nisi grauem condilomatum uel menstruorum fluxum designat, firmissimo autem, & inuiolabili argumento in ipsis acutis morbis rubea permanens, quæ nullum residens facit, quum in primis è uita excedere, aut tum calidū apostema demonstrat. Omnis uidelicet rubea in grauibus morbis capitis & angoribus, aut mirabilem furorem, aut ultimam dementiā designat, Illa ipsa rubea, crassa, turbida, qua ratione, quo fundamento,

mento, apoſtemata epatis, aut tantam eius imbecillitatem, aut debilitatem com monſtrat. At iſta abſente febre multum rubea, & clara apparens, ex longo pro- ceſſu temporis, laborioſam, ac grauem calefactionem epatis, & fortaſſe quarta nam notam deſignat. Nemo negat, quin eiuſmodi rubea in ſpaſmo, ut aiunt in apoplexia, in epilepſia, in paralyſi, in phthiſi, in peripleumonia, aut in dyſſen teria, aut in colicis doloribus communi ter mortem annunciat. Ita in primis co- lor rubeus eſt, uidelicet roſeaceus, ita ua rijs modis apparens cum nigredine, uel aliquantulum mixtus, ut roſa eſſe di citur. Ita rubeus obſcurus reipſa ſangui ni uenarum haud diſſimilis eſt. Tandem aliquando rubeus puluereus, uel potius puluerulentus eſt, qui continere in ſupe riori parte quandam nigredinem uide- tur. Illud omnino credendum ſit, Nam prorſus hi tres colores, quàm amplum, quàm manifeſtum dominatum ſangui- nis repræ

nis repræ

nis repræsentant? Quo circa hic satis super'q; color rubeus patet. Quanquam ego supra de colore ruffo cognoscēdo multa dixi, & multa docui, tamen prorsus ad utilitatem discendi, nonnullas prioris sententiæ adiungam regulas, Quarum prima est, Ruffa, & subruffa urina, qua cum pura, & ęquali substantia, quo mediocri liquore apparet, quæ cum corpus quidem bene temperatum indicat in hisce quatuor humoribus. Secunda, At ruffa urina, & subruffa, in quanta mediocritate spissa, semper cum pura, & æquali substantia, tam fortem, & incolumem hominem moderatæ, & sanguineę complexionis significat. Tertia, Quid urina ruffa, uel subruffa, cum substantia aliud, quàm febrem in corporibus puerorum quotidianam designat? Quòd si potissimum in iuuene fuerit, quoquo modo simplicem tertianam repræsentare solet. Si autem in aliquo sanguineo, et

melancholico corpore apparuerit, eo quidem pacto duplicem tertianam importat. Quarta, Istam notam quidem quartanam, atq; impiam epatis calefactionem, ruffa, uel subruffa, si præsertim aut in autumno, aut in hyeme apparuerit, significat. Quinta, Vnquam ne cum mediocritate subtilis ruffa, uel subruffa, & nebulosa, magnitudinem febris, aut potius hydropem indicat? Sexta, Quid enim ruffa tam mediocriter spissa, quàm supra obumbrata affatim, & cõiunctim impura, & inæquali substantia intercedente, nisi ex quadam multitudine dulcis phlegmatis, non exiguam febrem significat. Septima, Vnde cum mediocri spissitudine, & quodã modo cum spissitudine lucens ruffa, uel subruffa, in superiori parte illud quidem salsum, & dulce phlegma in spiritalibus membris abundare signat. Nonnunquam eadem urina ingentem prædictorum humorum abundantiam in ipsa matrice monstrare solet.

ſolet. Octaua, Num iſta quidem ruffa de phlegmate naturali tertianam repræſentat? quæ quoquouerſus ſpiſſa, & ſupra obumbrata, & ſupra obſcurata ſine liuore dicitur. Nona, At ruffa, uel ſubruffa, etiam quoquouerſus ſpiſſa, tum etiam ſupra liuida, minorem emitriteum ſane monſtrat. Decima, Quid illa ruffa, quoquouerſus ſpiſſa, & ſupra liuida, tam turbulenta, tamque obſcura, niſi maliciosam pleureſim inſinuat? Vndecima, Quid autem urina ruffa in ſuperficie, niſi moleſtum, & graue uitium epatis, niſi quàm timendum de calida cauſa, & periculoſum hydropem ſignificat, quæ uulgo aſclites appellatur. Duodecima, Quid uero ruffa, uel ſubruffa, præſente etiam ſubſtantia ſpiſſa, ſupra colorem habens liuidum, quum laborioſum apoſtema in inguinibus, uel tum ſimul ſub brachijs ſignificat. Decimatertia, Atque hæc quidem ruffa, uel ſubruffa, quæ ſimul remiſſa in rubedine à media
 regione,

regione, quæ ſupra liuida, quæ cinerea cum quadam ſpuma ſit, peripleumoniã ne indicat? Decimaquarta, Quid ruffa, quid ſimul ſpiſſa, & ſupra nigra, niſi tertiam ſpeciem æthicæ febris enotat? in qua profecto manus applicationes modo huc, modo illuc ad oppoſitam partem fiunt, id eſt, ſi ſub matula recte ponatur manus, iſta tandem quidem cum circumdantibus reſolutionibus ſupra liuida apparebit. Hactenus de ruffo, Sed iam ego de colore citrino nimirum pauca ſcripturus ſum. Prima regula, Hæc coloris citrini, uel ſubcitrini urina, quoquouerſus ſubtilis, in ſubſtantia præſertim in phlegmatico iuuene ſimplicẽ tertianam ſignificat, ſed ſi ante ſeptimum annũ, aut ante quartum fuerit, tum etiã quotidianam febrem magis ac magis notat. Secunda, Iſta quidem urina in colore citrina uel ſubcitrina, quum adeo in ſubſtantia tenuis, tum uel maximè cũ æquali, & pura ſubſtantia, hominem cõ plexionis

plexionis cholericæ ſanum demonſtrat. Tertia, Omnino in colore urina citrina, uel ſubcitrina, uidelicet ſubtilis in ſubſtā tia, cum ampullis, & granis, aut uitium pectoris, aut prauitatem aut denique ſummam præparatiōem ad phthiſim ſane ſignificat. Quarta, Nunquid citrina ſubtili interueniente ſubſtantia, multaq́; claritate uirgulata, grauem, conſtantem, moleſtā paſſionē ſplenis euulgat? Quinta, Significat illa quidē epatis ſiccitatem, quæ ſubtilem ſubſtātiam, quæ colorem citrinum, quæ multam quātitatem cum inſigni ſiti, & aluo ſtricta, & ſumma corporis macie habet. Sexta, At quidem urina citrina in principio ægritudinis, quū tenuis, atq; acutæ materiæ cruditatem, tum prolixitatem morbi, tum crudele apoſtema, tum defectum uirtutis deſignat, Quòd ſi nonnūquam poſt uel rubeam, uel rubicundam urinam talis in medio appareat, futuram igitur phrenesim præſentit. Quòd ſi prorſus talis in fi

 ne morbi

ne morbi apparuerit, aliqua tamen alie-
natione præcedente, ad breue, exiguũq;
tempus, ægrotum conualescentem desi
gnat. Septima, Quantumuis urina citri-
na, ac tenuis gubernantem, & dominan
tem choleram citrinam, cum maxima
quidem commixtiõe & choleræ rubeæ,
& phlegmatis naturalis demonstrat,
Vrina autem illa affinitatem temperãtiæ
ostendit, quæ non modo citrina, sed etiã
mediocriter tenuis, & tandem nigra ad
mediam partem accedens cum æquali,
& pura substantia dicitur. Commemo-
rãda autem sunt dogmata aliorum præ-
stantissimorum medicorum, At urina ci
trina, & quoquouersus in substãtia subti
lis, quæ est pallori proxima, prauam, &
non naturalem melancholiam quidem
redundare planè monstrat. An non uri
na subcitrina, tenuis, tum uel parum in-
censa, duntaxat sine febre, omnem pro-
pe naturalem choleræ potestatem efflue
re notat? An hæc quidem sat subcitrina,
scilicet

ſcilicet in ſubſtantia quoquouerſus ſpiſſa, quotidianam de phlegmate naturali febrem indicat? Quid? quod urina ſubcitrina, cum ſumma mediocritate, multum ſemper ad paucitatem accedēs, non modo quotidianam de acido phlegmate, uerum etiam de crudo deſignat. Hæc enim ipſa ſubcitrina cum mediocritate ſubtilis, plus tenuitatis habens, minus craſſitudinis, choleram uitellinā redundare inſinuat. Quòd ſi multum incenſa fuerit, quum febrem tertianam de cholera uitellina, tum in pueris, aut duplicem, aut minorem emitriteum, tum etiam in muliere, aut ſene, ut melancholico, & phlegmatico duplicem quotidianam manifeſtat. Sed quum ſit ſubcitrina, cum ſpuma crocea, ea croceam ićtericiam euulgat. Deſignat ſyncopim in mulieribus urina ſubtilis cum ſubſtantia obſcura. Sic enim non modo citrina, cum circulo citrino, uerum etiam ſubcitrina optima, & laudabilis dicitur. Sed

urina quidem citrina magis ac magis tenuis in parte superiori, & potissimum cum ampullis, & granis, non tam uitiũ thoracis, quàm paruitatem pectoris; & formidolosam quandã ad phthisim precipitationem ostendit, & ponderat. At citrina, uel subcitrina satis clara, satis uirgulata, satis fenestrata, affectionem splenis, uel dolorem articulorum, uel perturbationem condilomatum, uel potius eruptionem hemorrhoidum demonstrat. Quòd si multa in quantitate, quòd si cum siti, & macie corporis, & simul aluo stricta fuerit, intemperatissimum ferè calorem epatis etiam atque etiam uulgat. Atq; ista quidem citrina, & subtilis in corporibus sanis est laudãda, in ægris autem uituperanda, semperq; in ea timetur, quoad tempus uitæ durare, & stare possit. Nam ea citrina multum tenuis, multum lympida apparet, quæ importunissimum dolorem splenis innuit. In primis difficilem constipationem, & periculosum

culosum epatis dolorē urina citrina, tenuis, & multa indicat. Validissimā ægritudinem porrò urina clara, indigesta declarat, quod quidē timēdus interitus est hominis in breui tempore, At citrina, atque tenuis comperta, ac iudicata in acutis febribus, & maxime in principio apparens, incredibilem cruditatē humorū, diuturnitatem morbi, orbitatem uirtutis demonstrat. Sed si quodam modo talis in medio morbi, uel in fine apparuerit, illa simul præcedente rubea, uel rubicunda, fore indicat furiosam, atque amentem phrenesim. Verūtamen si purgatio decretoria præcesserit, non morbi declinationem solum, sed etiam pristinam sanitatem redituram monstrat. Iam nunc est ueniendum, ad alium colorem. Hæc autem est illa urina pallida, uel subpallida, quæ septem hæc maxime significat, scilicet continuam febrem, de naturali phlegmate, uel choleram adustam, uel continuam de acido phlegmate,

uel phlegmaticum corpus ſanum, uel calorem inſitum, ac naturalem, conualeſcentem, uel prauum apoſtema in diaphragmate futurum, uel denique phthiſim. De omnibus enim his rebus frugaliſſimæ, & plures regulæ ponuntur, quarum prima eſt, Vrina ultro, & citro pallida uel ſubpallida in ſuo colore, atq; etiam in ſubſtantia quoquouerſus ſpiſſa, continuam de naturali phlegmate febrem monſtrat. Secunda, Ea uero urina, quæ pallidum colorem, quæ ſubſtantiam tenuem habet, ſine cruciatu febris grande imperium choleræ aduſtæ, & potentiam ſignificat. Tertia, Atqui urina, quæ pallidum colorem, ac mediocrẽ tenuitatem ſubſtantiæ nutrit, quotidianam febrem, non de naturali phlegmate modo, ſed etiam de acido, & indigeſto repræſentat. Quarta, Quum urina in colore pallida, tum in ſubſtantia mediocriter ſpiſſa, nec quicquam ſignificat in rebus humanis, plus, quàm ſalubre, ſanum,

num, alacre corpus phlegmaticum. Quinta, Pallida enim urina, post colorẽ aut album, aut lacteum, aut Carops (ut ita dicam) apparens, nihil aliud, præterq̃ nouum uigorem, & ueram resumptionem uirium in debilitato corpore significat. Sexta, At uero pallida, uel subpallida, non in fucato, non in simulato colore urina, aut si quoque non solum subtilis, & clara, sed etiam admodum in substantia tenuis extiterit, ac simul in acuta febre fuerit, recte futurum in dyaphragmate apostema indicat. Septima, Pallida illa, & spumosa urina constantem, grauem, mortalem phthisim declarat, quæ omnem cum liuore superficiem, & cum paucissima quidem quãtitate, substantiam oleaceam, & cineream habet. Si multis enim cruciatibus fluxus uentris affuerit, mortem omnibus horis impendentem significat. Sed animaduertendum est diligentius, quæ experimenta excellentissimorum medicorum ad-

denda ſint. Pallida autem urina multis teſtimonijs datis nimis noxium, & nimis triſtem defectum ſtomachi, & maximũ impedimentum ſecundæ digeſtionis monſtrat. Pallida ſemper ſubtilis, ac clara, acidum prorſus phlegma denunciat. Pallida quoque infra non tam in uiris dolorem renum, quàm in mulieribus uitium matricis uulgat, & nunciat. Pallida uero uel ſubpallida, quoquouerſus ſpiſſa, abundare phlegma ſignificat. Si autẽ iterum, atq; iterum tenuis fuerit ſine aliqua febris occaſione, uaticinatur ſuperuacaneam, & ſane uiolentam melancholiam. Sic pallida cum mediocri ſpiſſa ſubſtantia, apertiſſimè ſalubre corpus phlegmaticum oſtendit. Pallida uero cum mediocritate ſpiſſa, quòd cum acidum, & concoctum phlegma in ſe habeat, id conatur oſtendere. Sed interdum tenuis omne acidum phlegma, & indigeſtum demonſtrat. Validiſſimam enim lethargiam, pallida in acuta febre, quoquouer

ſus

ſus ſpiſſa demonſtrat. Quæ autem ſine febre, aut ſtante, aut procedente longo interuallo tẽporis, maxime declarat hydropem. Iſta pallida, uel ſubpallida cum optimis alijs præſagijs quoquo modo in acuta febre funditus fore aliq̃d ſub dyaphragmate apoſtema indicat. Pallida uero, & ſubcitrina, & ſupra ſpumoſa atq; cum peculiari liuore oleacea, ſimul quoq; cinerea, in primis pauca hanc laxitatem, & purgationem alui, aut exulceratã & mortalem phthiſim circũſcripta oſtẽdit. Si uero profluuium, ſi laxamentum uentris ui & impetu ſuperuenerit, iure igitur mortem denunciat. Hæc pallida, & craſſa, quæ undiq; rubeum circulum, quæ magnam, & amplam nubẽ diuulſam, per uniuerſam urinam continet immenſum dextri lateris calorem, & quodcunq; interius apoſtema monſtrat cum cruciatu capitis. Hucuſq; de pallido colore. Nec uero quidquam laude dignum ſine induſtria, ſine exercitatione tradere

ne tradere poſſumus de glauco colore. Quocirca expertiſſimorum uirorum præcepta complectamur, eaq; doceamus. Iſta profecto ſcripta neque deſidioſe, neq; ignaue proſequenda ſunt. De quibus nunc admodum paucæ ponantur regulæ. Quarum prima eſt, Illa quidem glauca urina mortem minatur, quę quum tenuem haberet, aut albam in principio ægritudinis, aut in medio, aut in fine ſubſtantiam, cum ſumma amentia, & cum omni difficultate inſpirandi ſuperueniente quidem appetitus defectione, ſed ſi coloris quidem talis urina, in fine febris appareat, & multa in quantitate ſit, iucundiſſimam declinante febre ſalutem ſignificat. Si autem ita apparuerit interpollata febre, ſic humorem phlegmaticum, & in omni quidem cauſa crudum eſſe portendit. Secunda, Hæc eadē urina quum glauci coloris, tum etiam ſubſtantiæ tenuis, non aliud, quàm perniicioſam, atq; multiplicem ſaniem monſtrat.

ſtrat. Tertia, Glauca in colore urina, iniquum & magnum exceſſum acidi phlegmatis & monſtrat & diligentius nunciat. Quarta, Glauca urina, uaporoſa, ſpiſſa, perturbata cum modica quidem quantitate, tot & tam longis reſolutionibus nigrum fluxum notat, & manifeſtat, tum uero ut hæc quodam modo frequentiſſime accidentia ſæua occurrant, ſcilicet acerbus dolor, truculentus tenaſmon, incredibile faſtidium. Quinta, Glauca enim urina, & ſpiſſa, & non pura, hoc doloris tormentum hyliacum omnino ſignificat, in quo quidem, nimius inteſtinorum dolor, frequens uomitus, tot anguſtiæ, inexpugnabiles uigiliæ, atq; alia eiuſdem generis adſunt. Sexta, Sic glauca urina, ſic ſpiſſa, quæ quidem cum maxima, & multiplici inæqualitate ſit, & non pura ſubſtãtia, cum quibuſdam minutiſſimis atomis, carnificem demonſtrat in renibus lapidem foſe, unde ortus eſt dolor magis atq; magis pun

gis pungens, & frequentissima dormita tio pedum. Si autem tantum in uesica fu erit, tum sine ullo dubio in ipso quidem dolor pectine est, & non tam circa mem brum muliebre, quàm omnino in men- tula prurigo. Septima, Vrina quidem glauca hæc, & spissa, quæ si satis obscu- ra, aut multum liuida fuerit, molestam fieri menstruorum retentionem, uel sum mum matricis dolorem, uel ualde mise- rum casum, uel grauem potius lapsum etiam, atq; etiam notat, Tum uero coxa- rum grauedo, & fastidium appetitus haud abest. Quare ita omnia hæc in ea hebdomada fiunt, in qua maxime appa rere, & euenire fluxus solet. Octaua, Vri na quidem glauca, & pinguis, æquè cũ pauca quantitate, postremo in fine febri um, quàm grauem, & insignem, aut uesi cæ aut renum calculum designat. No- na, Glauca uero urina Carops coloris, & spissa uehementer, & turbata impen- dio, non dolorem magis præsentem,

quàm

quàm futurum repræſentat. Decima, Primum glauca in toto colore moderata, aut mediocriter ſubtilis, deinde liquido in ſubſtantia ſpiſſa, commonſtrat quotidianam de phlegmate uitreo. Vndecima, Glauca quidem urina, quoquo uerſus in ſubſtantia ſpiſſa, ſic exiſtens, ſic in longo tempore apparens, abundantẽ in epate dolorem ſignificat. Si autem fuerit multa in quantitate, propinquam totius doloris epatici ſolutionem prædicit. Item ſi dolor uehementer uiſus cum ſpiſſa urinæ ſubſtantia fuerit, tum uero ſine aliqua ipſius harenæ multitudine, partim ex crudo, partim ex uiſcoſo phlegmate, ferocem interiorum inteſtinorum paſſiõem colicam, uel hyliacam importat. Si uero fuerit maiorem in modum ſpiſſa, & granoſa, tum quodam modo immoderatum fluxum matricis, præſertim ab epate ipſo ad propinquũ aliquod membrum commonſtrat per collectionem, Veruntamen aliquantu-

ſum tincta apparet. Sed de hoc iam colo re ſatis diſputatum eſt. Reliquum deinceps proſequamur de urina lactea, quæ quodam modo ualde paulatim mingatur, calculum, aut ueſicæ aut renum, ad cautionem prædicere, atq; demonſtrare ſolet. Lactea urina, quæ Arabica lingua Carops, cum ſpiſſa quadam ſubſtantia nominatur, & quæ ſi longo tempore turbulenta, ac tum maxime, appoſita manu, liuida fuerit, præſentaneum hydropem ſignificat. Id quidem non eſt dubium, quin illa lactea, quæ in fundo omni harena caret, potiſſimum ex crudo, & uiſcoſo phlegmatis humore quũ colicam commonſtrat, tum hyliacam paſſionem. Vnde tanta & uidentur, & ſentiuntur tormina. Quanto enim intolerabiliorem, crudeliorẽ, moleſtiorem lapidem urina lactea, & ſpiſſa indicat, quæ ſi multiplici in fundo harena quidem non careat. Acerbiſſimum enim dolorẽ capitis deſignat lactea, & ſpiſſa,

quæ

quæ omnibus ſpectantibus apertiſſimũ iudicium præbet, quod non modo ad ſubſtantiam cerebri, phlegmatici humo res aſcenſum faciunt, uerumetiam parãt aditum. Atq; profecto hæc, quæ ab Au thoribus barbaris Carops nominatur, indicat corruptorum humorum multi- tudinem, ex quo profecto etiam id fit, quod ſæpenumero homini phlegmati- co, podagrico, hydropico, & ſimilibus accidere ſolet. Si hæc quidem lactea in principio appareat in ea febre, quæ acu ta uocatur, ea urina aut uitam, aut mor- tem notat, ſi conſtanter bona ſigna ad- ſint, ut ſomnus mitiſſimus, ut optima re- ſpiratio, quæ ſaluberrimam uitam con- ſeruant. Sed ſi alia his contraria fuerint, mortem ſubeſſe dubitat nemo. Alius enim color, & cum plurimis, & utiliſſi- mis regulis ſequitur, quarum prima eſt, Vrina, quæ uulgo inops, & Kyanos appellatur, in eiuſmodi colore apparẽs, multis, & magnis de cauſis in acuta fe-

bre mortem minatur, Nam & color inops est quasi uinum, quod multum, palamq́ue uergit in quandam nigredinē, Sicut gallicum uinum, uel potius Italicum, quod communiter fertur de Calabria, ut aiūt. Sed quoniam Kianos non modo profundiore nigredine, uerum etiam multiplici colore mirabiliter gaudet, ut multis modis in quadam parte rubicundus, rursus sine dubio in quadam parte niger, quum & in alia parte liuidus, tum etiam uiridis admodum apparet. Secunda, Vrina quidem inops, & Kianos omnino in muliere apparens infra, matricis miram corruptionem designat. Tertia, Quum hæc eadem urina uehementer uisa fuerit in acutis febribus apparere, quantopere iam adesse mortē uaticinatur? Multo enim quidem magis in muliere dicitur suspecta, quâm in uiro. Quarta, Modo supra nominata urina, non perperam, non dissimulanter ipsam uenæ Chilis rupturam demonstrat,

ſtrat, Tum uero qua ueritate, quo teſti-
monio eſſe ſpondiles ſine magno, &
acerbo dolore non poſſunt. Quinta, Ta
lis autem urina, ſi in regione aliqua fue-
rit ſpiſſior, maxime ad liuorem prauum
declinans, hydropem phlegmaticum
demonſtrat, ſi quodam modo rubea fu
erit, uel quodã modo magis ſanguinea,
planiſſime hypoſarchã deſignat. Sexta,
Omne enim apoſtema epatis talis urina
monſtrat, ſi porrò grauis, & multus
in dextero latere dolor ſentitur, Si uero
idem dolor in ſiniſtro latere ſentitur, nõ
profecto aliud quicq̃, quàm aut mor-
bum, aut apoſtema commonſtrat ſple-
nis. Septima, Si urina ſpectata in priori-
colore, cum pernicioſa grauedine fue-
rit, in præcipua renũ regione, nónne ſi-
gnificat apoſtema renum? Octaua, Si
conſimilis urina ſtante anguſtia, uel un-
diq; ſpiſſa in ſubſtantia non ſolum, ſed
etiam admodum in uili, & pauca quanti
tate extiterit, ſanioſam peripleumoniam
 maxime

maximè ſignificat. Sed quoniam talis in ſolo ſtatu quotidianæ febris conſtantiſſime apparens, formidoloſam indicat mortem. Nona, Sic eadem in primis urina, cum crocea ſpuma, rectiſſimè apparens in ſuperiori parte, aut admirabile epatis incendium, aut deformem icteriсiam interpretatur. Quum talis, & eiuſmodi in quouis ſano corpore quàm ſæpiſſime, & quàm plurimum apparet, ſicut potiſſimum ex harmonia pulſus cognoſcitur, profecto non tam præſentē, quàm futurum calculum repræſentat. Decima, Si uero cum crocea ſpuma, quoquouerſus in ſubſtantia ſpiſſa eſt urina, ex qua patet magna ſignificatio corpus melancholicum adeſſe. Vndecima, Nonnunquam eiuſmodi urina præcipue ſpiſſa, uehementer pauca in quantitate apparens, in communi ſtatu febris ultimam lineam uitæ commonſtrat. Deinceps augmenta cæterorum, et rudimenta commemoranda ſunt. Illa au

tem

tem urina, obnoxium apostema renum, aut epatis significat. Quæ infra uti uinũ obscurum, nec ne turbatum, & rubeũ, uel subrubeum, cum quodam croceo liuore obscura supra apparet, hæc inops in acutis febribus, uel scilicet potius in causone, mirificam adustionem, ac propinquitatem mortis, siquando aut indicat aut reuelat. Kyanos uero post citrinã proueniens, aut rupturam uenæ in renibus, aut in epate significat, non solum in uiris, sed etiam in mulieribus. Sed si Kianos hæc spectatur sanè in corporibus sanis, & publica, & communis, quasi ingentem exercitationem uitæ, aut assiduũ corporis factum esse cursum significat. Si enim in corporibus senum superueniat spatio longo temporis & curriculo cruciatum lapidis denũciat. Si primum satis rubicunda est, & perseuerat, deinde constanter Kianos, uel inops, etiam atq; etiam fit, portentum mortis est certissimum. Talis uero sine ulla febre, tantum

modo in mulieribus apparere ſolet, pro pter propinquitatem menſtruorum, & imminentem eruptionem. Tunc enim in fundo magis ſpiſſa, magis pinguis, magis fœculenta ſpectatur. Inops autem urina, in ardentiſſima febre cauſone potẽtem Chriſim, per ſcaturiginem ſanguinis è naribus cum graui & acerbo dolore capitis ſignificat. Potiſſimum enim in ruptura uenæ Chilis, eadem illa urina apparet, ex cuius ſignificatu intolerabilis angor iuxta ſeptimum ſpondilem ſentitur, facta permutatione à parte inferiori, tum omni ratione & turbulentior, & ſpiſſior naſcitur & fit urina. Quoties autem Inops, & Kianos, tam periculoſum apoſtema epatis, quoties ti mendam peripleumoniam, quoties cruenta renum apoſtemata inſinuat? Atqꝫ in primis quidem hæc inops, & Kianos, ſi in media regione cognita ſpiſſior ſit, facile grandẽ, & terribilem hydropem corporis inchoatũ repręſentat, Si quodam

dam modo rubea, & ſanguinea fuerit, tum hypoſarcham, Si magis liuida, tum tumorem leucoflantiæ indicat. Ea urina inops, ſemper in cauſa ſpumam croceam habet, quæ aut ſummam, aut continuam epatis inſinuat calefactionem, aut etiam ictericiam, quæ ſi aliquo pacto acciderit ante ſeptimum diem in forti, & acuta febre, prodigium peſſimum eſt. Sed ſi eiuſmodi poſt ſeptimum diem iudicatur, ſic maxima fit ſolutio ægritudinis. Sed iam ad reliquum colorem pergendum eſt. Prima regula, Quæ profecto urina uiridis ſignum aduſtionis eſt, ea aduſtionem ſignificare in principio morbi, uel in medio, uel ſimul in fine poteſt. Si ea urina, quæ uulgo Kianos uocatur, in principio quidem morbi, quodam ſupra cum liuore perfuſa fuerit, croceam in corpore ictericiam, ut ſcriptum in libris medicorum legimus, euidentiſſimè ſignificat. Si palam aliquando in fine morbi denigratur, tum illam

ipsam ictericiam non mediocriter nigram demõstrat. Secunda, Omnis enim urina quemadmodum nos legimus, coloris uiridis præsertim multa in quantitate, palam fœtens, non dubiam rupturam apostematis monstrat in humano epate. Tertia, At enim apparens urina, quoquouersus uiridis sanè in acuto morbo spasmum designat. Si quandoque durans, non modo per singulos dies, uerumetiam quadam cum tetra, & deformi uiriditate, & continua fuerit, maximo malo uacare nõ potest. Item si uiridis, sine doloris detrimento, sine naufragio in omni die decretorio apparuerit, Quamobrem & omnem membri solutionem, & liberationem morbi prædicit. Vrina enim uiridis, facta à multa & uaria naturæ potentia, per publicam, & iustam eruptionem sanguinis è naribus, excellentem morbi liberationem designat. Si potissimum in die decretorio, cum optatissimis, & saluis signis, & graui appara

ui apparatu, & augmento doloris fuerit, qui urget tum occiput, tum etiam sinciput, si quoque sit ęger circa triginta annos natus, item si ista publicitus apparuerit, in die decretorio, & prorsus non mediocri in quantitate, cum alijs probatissimis testimonijs fuerit, ut bona quies, ut facilis anhelitus est, Sic ergo aut durari uita, aut sperari corporis certissima salus potest. Item si aliquãdo, aut in septima die, aut in nona, aut undecima, cum spuma citrina, uel uiridi apparuerit, aut si modis multis eruginosa fuerit, non dubiam mortem significat. Quandoquidem urina uiridis fuerit micta post rubeam recte non adustionem modo sed etiam propinquam mortem designat. Quod cuiuspiam infantis urina uiridis aut paralysim, aut spasmum indicat, atque monstrat, quoquouersus ista uiridis in acuta febre terribilem, & citam necẽ, Si quoque lucidissime, & copiosissime urina uiridis apparens in die decretorio, tum securam,

ram,tum etiam tranquillam solutionem doloris repræsentat, si præsertim doleat caput ægroto. Sic enim uiridis, & pauca necem uaticinatur, Sic etiam uiridis & crassa nihil aliud nisi stranguriam designat. Nam ubi primum urina uiridis, ualde multa maiorem in modum fœtens, insigniterq; olens apparuerit, communiter promulgat rupturam apostematis, & quidem certissimam in epate, Significat enim tam tetram ictericiam ex cholera prassina urina quidem uiridis constanter, ac fortiter olens. At quidem urina uel uiridis, uel sulphurea in maximis caloribus, & molestissimo incendio ipsius febris, & si homo imbecillus macilentior fuerit, aut non modo in superioribus membris sudauerit, sed etiam in partibus extremis corporis, perpetuum frigus perpessus fuerit, truculentissimum spasmum, & cum summa testificatione ultimam, atq; admirabilem inanitatem declarat. Hoc autem quisq;

miratur,

miratur, quod urina uiridis, quũ præsen te dolore, tum deniq; stante angustia, in stomacho, sine aliqua hypostasi, primũ indicat toxicum sæuum, in potione sumpsisse. Deinde mortem oppetere. Rursum uiridis cum tetro, & detestabili circulo uiridi in phrenesi, plane certissimũ portentum est mortis. Nunquid uiridis urina similis succo porri horribile prodigium mortis est? Id enim quãtum incendium monstrat in spiritualibus membris? At uiridis quidem urina, non dissimilis erugini, quanto peior, quanto periculosior est cæteris, simul & propinquum, ac momentaneum finem uitæ euulgat. Profecto iam uiridis haud dissimilis illi quidem phisticorũ colori, quoquo modo non solum mortificationem caloris naturalis, uerumetiam frigiditatis excessum significat. Hæc autem aut similis colori Ireos, aut propinqua, quam palam, quam multum uiridis præcesserit, non modo immensam frigiditatem, sed

tem, sed suffocātem etiam calorem natū ralem, tum proximum, tum extremum indicium mortis declarat. Sed de coloribus hactenus. Quanquam in primis â me tam exigua, aut tam pauca scripta uiri eruditissimi habetis, tamen mea quidem sententia utilia. Sed perinde putaui, ut longis ambagibus scholasticis non indigeretis, quibus plerique tam copiose usi sunt. Nonnihil disputauimus de coloribus urinæ pro mediocritate ingenij, in quibus gratissimum, & utilissimū exercitium studiosis medicis erit.
Sed iam freti consilio amicorum, & assiduo studio, reliqua prosequamur.

Valentini

VALENTINI POLIDAMI, DE IVDIcio Vrinarum, Ad prudentißimos LIPSENSIVM ciuium Consules, & præstantißimos Medicinæ Doctores, Liber SECVNDVS.



ECVNDVM LIbrum præstantissimi uiri eum, qui & grauia, & utilia rudimenta de contentis urinæ accurate copioseq́; disputat, scribere conamur, de quibus tanta sapientissimo cuiq; documenta, præceptaq́; semper patent, ut nulla commodiora esse possint. Nam & iactis eorum & claris fundamentis, & expertis testimonijs plurimum medici utuntur, & hæc sibi cognoscēdis in morbis imitari proponunt, & eligunt, quæ

incredibilem cognitionem iudicijs afferunt summæ ueritatis, summæq; experientiæ, & om̃ibus studiosis uiris grauissimos non solum morbos hominum, sed etiam acerbissimos dolores sic semper declarant, ut maiora documenta nulla in experientia apertius inuenirentur. Nihil oportet me plura commemorare, quàm quòd tyronibus necesse sit urinarum contenta, & doctrinam quibuscunq; studijs possim, aperire. Quod nisi ita esset, uterer mea honestate, ut adolescentibus tali in re molestus esse nollem, quocirca medicis contenta optimi testes sunt ægritudinum, quàm cuiq; hoc expertum esset, nihil esse, quod per contenta cognosci non posset. Modo & copiosa, & uera contentorum iudicia urinis esse scribam. Pauca in primis quædam alia recensenda sunt. Crassa ne subter urina, aut clara in medio, aut desuper spissa cum summo testimonio ueritatis quàm apertissime morbum pleureticum designat?

signat? Plūbea urina, si grauida mulier putatur, indicat euidentissime mortuum fœtum, Quòd si non penitus esset prægnans, omnem matricis putredinem, & insignem corruptionem significat. Nec potest quisquam dubitare, quin non mutata solum urina, sed etiam declinata à saluis signis, & à bonis ad mala q̃ primum sit, horribilem, & non dubiam ægro mortem importet. Si autē in morbis acutis tanquam hominis sani urina apparet, & clara permanet, ut quum eleganter, tum præclare scriptum apud Almansorem est, procul dubio propinquū signum mortis dicitur. Quàm mirificas tandem urina nōnullas, & albas nubeculas habēs in media regione cōceptiōem fœtus in muliere significat. Item bombyx nō modo in principio fœtus apparens in media regione sibi paruam quantitatem uendicat, & postea maiorem in medio occupat, sed etiam maiorem in fine, atq; ut placet Isaac prope partū con

tinet. Et illud etiam apud eundem ſcriptum eſt, quòd omnis urina tenuis, atq; hoc quidem pacto perſeuerans principium morbi declarat, Craſſa uero, ac omnino talis quidem permanens, augmentum denotat. Subtilis quidem, quæ fit repentino aliquo motu craſſa, ſtatum ſignificat. Craſſa, quæ palam tenuis fit, declinationem nunciat. Craſſa autem, quæ in primis fit tenuis, poſtea rurſus craſſa apparet, deinde ſimiliter tenuis, quę craſſa, & deformis fit, atq; iterũ notatur ſubtilis, at hæc quidem mixta, quæ repente publicam mutationem ſuſceperint, nihil porro aliud ſecundum naturam, quàm uarietatem in ijſdem humoribus peccantibus certe ſignificare poſſint, quos legimus apud Galenum noſtrum eſſe ſcriptos diligentiſſime, qui ſumma authoritate, ſummaq; prudentia pollens palam meditata, & explorata argumenta diſſerit, Quod urina primo clara, quæ nonnunquam turbulenta fit,

indicat

indicat morbi principium. Turbulenta uero, quæ clara fit, sic multo apertius, multoq́ꝫ uberius augmentum finem uersus insinuat. Turbulenta autem permanens in primis statum edisserit. Ea turbulenta est, quæ omnem conturbationem, & impuritatem aut cumulat, aut auget, & maximis rationibus, inuiolabilibusq́ꝫ disputationibus pleruncꝫ augmentum significat. Itacꝫ uidendum est, quid multa? dum non prauissimorum humorum in principio morbi maturitas, & concoctio facta sit. Hypostasis ne in prima regione urinæ apparere solet? In augmento autem, dum quodam modo materia cocōcta sit, uagatur ne in media regiōe? In statu quocꝫ, dum quasi completa materiæ concoctio sit, in parte inferiore aut natat, aut manet, non tamen secundū totam ueritatem ad fundum, sed secundum basim, quæ quidem pars eius esse dicitur, aut in parte inferiore natat, aut apparet. Nam secundum signum ueritatis

uagatur aliquando in media regione, &
dum huiuſmodi adeſt, materiam partiũ i
inferiorum ſignificat. Quare non pauca
ſolum, ſed etiam multa hypoſtaſis aut
modicam aut grandem cauſam materiæ
eſſe penſitat & continet. Conditiones
autem has omnes medici ſcribunt diligẽ-
tiſſime, ex quibus & cognita, & perſpe-
cta eſt quotidiana febris ueram in perpe-
tuum experientiam habere, Quòd ſub-
citrina urina in ſubſtantia per omnes
partes ſpiſſa ſine colore liuido quotidia-
nam febrem de naturali phlegmate no-
tat, ab hora uero quaſi tertia noctis uſq;
ad nonam ægrum miris modis & tor-
quet, & urget cum terribili frigore in-
choans. Atq; ſubcitrina uel ignea, uel
incenſa, & in propria ſua ſubſtãtia æqua-
liter ſpiſſa duplicem quotidianam repræ-
ſentat. Vrina autem in ſubſtantia citrina,
uel ſubcitrina quoquouerſus ſine mani-
feſto liuore cum manu appoſita liuens
rectiſſime quotidianam febrem continu-
am inſinuat

am insinuat. Curatur autem pharmacis legitimis, quemadmodum febris salsi phlegmatis. Quum uero uicina apertissimo pallori urina subcitrina sit, potissimum mediocriter tenuis, quotidianam de phlegmate acido significat. Nam radicitus nihil est tam certum, quàm quod circa horam uespertinam illa ipsa febris oritur formidabilibus frigoribus. Salua enim postulat, & conuenientia, & propria medicamenta, quemadmodum febris naturalis phlegmatis: Atq; satis, superq; hæc in superiore libro commemoraui, quæ conscripta sunt apud bonos authores maximis uigilijs, & acutissimis ingenijs ualde eleganti, atq; absoluta uerborum breuitate. Si autem est subcitrina urina pallori uicina quoquouersus tenuis, & subtilis quàm plurimis & innumerabilibus detrimentis abundare innaturalem melancholiam, atque prauam designat. Subcitrina subtilis moderate, & perspicue tenuis, cui appropin-

quat plus tenuitas, & accedit, dominatũ cholerae uitellinae iniquum, & furiosum repraesentat. Si autem & multum, & diu incensa fuerit de tam corrupta, tam praua, tam periculosa cholera uitellina, tertianam significare potest. Si autem in pueris fuerit, nonne aut duplicem aut minorem hemitriteum facere dicitur? Si aliquando in muliere, aut in sene melancholico, & phlegmatico apparuerit, nũ quotidianam recte simplicem significare uidetur? At quoq; subcitrina urina cũ crocea spuma croceum & bileum morbum significare fertur, & putatur. Citrina, quae subtilis cum obscura substantia sit, non modicam quandam in muliere imbecillitatem, atq; inualentiam sincopis demonstrat. Neq; enim minus urinã citrinam cũ circulo citrino, quàm subcitrinam plurimum commendat summa & singularis medicorum praestantium sapientia, & doctrina extollit, quae quidem optima, ac penitus laudabilis & iudicatur,

dicatur, & creditur. Citrina autem & quoadeius & undeuis ſubtilis, & multo magis tenuis in parte ſuperiori, ſimul & non ſolum cum ampullis, ſed etiam cum granis, notat & publicat thoracis uicium, & anguſtiam pectoris, in qua cadimus & ruimus in periculum phthiſis, & perniciem. Illa quidem ſubcitrina, & citrina urina tota clara, uirgulata, feneſtrata grauẽ lienis paſſiõem ſignificat, in qua etiã acerbiſſimus maximusq́ dolor aut condilomatũ, aut hemorrhoidũ, aut podagricus notatur. Si uero in quãtitate multa fuerit, in qua & ſitis uehemens, & macies corporis incredibilis, atq intolerabilis alui conſtipatio permanet, omnẽ in calore diſcraſiam iecinoris euulgat. Quid ego equidẽ iſtam urinã cõmemorem citrinam, & tenuem, quæ quum in acuta febre, tum etiam in principio apparens non malicioſam ſolum materiæ cruditatem, uerum etiam quamtumuis mirandam morbi prolixitatem declarat,

 & diuul-

& diuulgat summam uirtutis defectionem. Si autem cuiuspiã morbi in medio talis urina cum magna frequentia, & per petuitate apparet aut præcedente urina rubea, aut rubicunda in fine, eadem maniam, & phrenesim prædicit. Si autem purgatio decretoria præcesserit, ex qua fit, ut conualescens quoq; æger magnificam morbi, & inuictam declinationem consequatur. Sed subtilis urina citrina in corporibus sanis laudatissima est, in ægris autem defamatissima, & uiciosissima. Quid autem uerius dicam, quàm q̃ urina tenuis, in qua translucidus splendor, & maximus est, ex mirabilibus, & multis causis morbum lienis significat. Declarat uero urina subtilis & multa, morbum & dolorem iecoris. Est aũt ea urina citrina, clara, incõcocta, quę quasi ualde periculosam infirmitatem significat. Hanc igitur inimicam uitæ æger timeat. Ruffa uero, uel subruffa urina in substãtia quoquouersus æqualiter spissa

quotidianam

quotidianā febrē illā de dulci phlegmate significat, quæ poteſt inter horas phlegmatis, & ſanguinis, & primum cum frigore, deinde cum calore incrudeſcere. Quid ergo diuinat urina ruffa, uel ſubruffa ualde moderate tenuis, quæ ſit aut fortis, aut recta, aut uera ſignificatio quotidianæ febris de ſalſo phlegmate, Eiuſmodi enim febris hora nona diei oritur, Primum cum frigore, deinde cū calore, cuius profecto acceſſio uſque ad noctem intempeſtam durat. Curatio autem poteſt fieri à ſectione uenæ ob certas & uarias cauſas. Nempe citrina urina incenſa, ſic mediocriter ſubtilis, ſic frequenter ad tenuitatem magis accedens febrem tertianam de cholera citrina, ac de die tertio in tertium circa pomeridianas horas recte oſtendit. Omnis autē medicina, atque curatio eius eſt, ut choleræ naturalis, quæ primo ſeuit cum horribili frigore, & communiter ſane oritur. Rurſum autem illa mediocriter incenſa

urina ſubcitrina in ſubſtantia magis ad tenuitatem accedens tertianam de cholera uitellina ſignificat, quæ in primis cũ frigore de die tertio in tertium circa horas ferè ueſpertinas ſæuit, curatio uero eius ſane eſt, ut phlegmatis ſalſi. Vel urina ruffa, uel ſubruffa in ſubſtantia quoquouerſus tenuis ſimplicem tertianam de cholera naturali quidẽ ſignat. Nihil autem aliud urina uel rubea, uel ſubrubea, & potiſſimum in medio citrina tenuis, & ſuperius obumbrata, quàm in cholerico adoleſcente, aut iuuene duplicem tertianam de cholera naturali planè oſtendere uidetur. Vrina ne rubea, uel ſubrubea mediocriter tenuis cum appoſitione manus liuens palam continuam quidem tertianam deſignat, num illa curationem habet: ut duplex quidem tertiana. Nihil eſt enim apertius, nihil uerius, quàm eſt urina & ſubtilis, & cruda in principio interpollatæ febris quartanæ, quæ quum ab omni impura, & fœculenta

culenta melancholia nasceretur, Postea autem gradatim, paulatim, & sensim indies usque ad statum coloratur, & incrascescit, completa quidem digestione fit nigra. At ea urina, quæ potissimum à cholerica materia nasci solet, incensa'ne est: citrina'ne: ruffa'ne: uel subruffa, uel cum quodam'ne citrino ad rubedinem colore adpropinquat, & modicum spectatur obscura, & tenuis: Quid uero de ista urina in quartana à sanguinea melancholia dicam, quæ non cum notabili obscuritate solum, sed etiam cum crassitudine aut ruffa, aut subruffa iudicatur. Nónne autem à melancholia phlegmatica crassior est urina, quàm in cæteris, quæ parum incensa est, & satis ad albedinem pauca declinat. Omnibus autem modis urina in pestifera febre à sanguine rubea spectatur cum manifesta obscuritate perseuerãs. Rursum autem ual de ignea cum semper subtili & citrino colore progreditur à cholera. Sic alba
ut plu

ut plurimum urina, modicum tincta, & nonnũquam sana à phlegmate emanat. At quidem hæc rubea urina ad aliquam obscuritatem accedit, & nonnunquam alba est, quæ signis rectissimis, & notis procedit à melancholia. Sequitur pars secunda, ut de reliqua contentorum doctrina dicendum sit, in quibus cognitio ueri & quasi quidam scopus ægritudinis, coniectura & significatio, omnisq; corporum permutatio, & cursus dolorum cernitur, Hoc enim in loco continetur id documentum, de quo Hyppocrates, Galenus, Auicenna, Theophilus, Isaac, Egidius, ac reliqui medici conuenienter, sapienter, præclare scripserunt. De circulo autem apud peritissimos authores medicinæ copiose disputatũ est. Circulus em̃ non modo crassus, & spissus, sed etiam quũ in substantia remissus, tum etiam in colore aquosus scilicet coloris aquili instar ex multiplici humore, & uarietate uitrei phlegmatis occiput ur

gere significat, talem etiam significatum albus, & spissus solet habere. Item nihilo minus circulus in colore purpureus, & in substantia spissus, uel simul rubicundus & spissus dolorem sincipitis demonstrat ex abundantia sanguinis. Item non occultat rubeus & spissus circulus abundantiam sanguinis in parte sincipitis dominari. Similiter albus, & crassus designat uiscosum phlegma dominari occipiti cum maximis frigoribus capitis. Circulus citrinus in substantia tenuis, in colore rubeus affligi ex hoc uicio, & ex hoc quidem furore cholerici humoris partẽ capitis dextram ostẽdit. Citrinus ne subtilis circulus, plumbeus ne crassus, aut subtilis in substantia aut epilepsiam, aut apoplexiã, aut mortificatiõem propagationis tantummodo scilicet in neruis significat? Circulus eñ niger, uel partim pallidus cũ subtilitate, uel partim tenuis in substantia nimis anxiam, nimis acerbã ægrimoniam in parte sinistra capitis demonstrat.

monstrat.

monſtrat. Circulus autem niger nō modo mortificationem, uerumetiam aduſtionem præſagit, an publicam mortificationem prædicat? ſi paulo ante præceſſiſſet, ſi ſimul etiam uiſa fuiſſet liuiditas, an obnoxiam, prauã, malam aduſtionē ſignificat, ſi qua paulo ante uiriditas apparuiſſet, quando uiridis, quando ſubtilis admodũ ſit in acuta febre, ſic monſtrat ſæpe magnam aduſtionem, nonnunquam etiam phreneſim. Sed quoniã tremuli circuli hoc per medicos agitati proprium eſt, quòd & grauē dolorē, & acerbum monſtrat in ſpina dorſi, uel paralyſim, uel multitudinem catarrhi, aut apoplexiã cũ tot & tantis teſtimonijs, & tot ſignis prædicit, ipſum em̃ cerebrum offendi, lædi, infirmari liuidus notat. Quòd ſi nō modo liuiditas in rubedinē, ſed etiã in claritatē mutaretur in quapiã ægrimonia, ſic fore bonam ualetudinē non minus, q̃ mutationē de morte in uitam ſignificare ſolet. Profectò circulus albus

albus ac tenuis immēſum ac prope deſperatum dolorē capitis in parte ſiniſtra declarat, aut ex complexione mala, aut ex frigido, aut ex ſicco melancholiæ uicio. At quidem id compertum eſt, id patet, q̃d etiā habet liuidus circulus in acuta ægritudine apparens, ſi propter manifeſtam naturæ imbecillitatem, & debilitatē colorari prius incipiat, nónne ſuffragationem, aut perturbationē capitis aut totum deniq; mouendæ materiæ principium indicat? Profecto non poteſt eſſe dubium, quin etiam eiuſmodi circulus in epilepſia illa pernicioſa, ac luctuoſa ſoleat apparere. Circulus autem uiridis in colore, ſubtilis in ſubſtantia apparens in atroci & crudeli proceſſu acutæ febris, & quidem cōtinuę, ineuitabilem, & futuram phreneſim, & immodicam aduſtionem ſignificat. Quod etiam ſi hæc cum eiuſmodi circulo urina remiſſa fuerit, ſi deniq; pene aquea in colore præceſſerit, prorſus hæc eadem incenſa urina ab

na ab experimento, à teſtimonio, ab ijs, quibus ueritas illuſtrari ſolet, uehementem materiæ raptum ad caput demonſtrat. Nempe circulus niger ſi prodierit ſua liuiditate, eius non alia in proprietate uis eſt, non alia in urina poteſtas, nō alia ſignorum ratio, quàm non modo ex frigiditate in cerebro capitis perturbationem, ſed etiam quàm mortificationem caloris diuulgare, & prædicere. Si iſte ipſe unquam in urina uiridis circulus præceſſerit, omnem in complexione cerebri aduſtionem à calore præter naturam deſignat. Item prædicat circulus tremulus quum occipitis dolorem, tum grauem ſpaſmum, nonnunquam etiam paralyſim. Cum apparatu uero omni atq; conatu fuſcus circulus in quacunq; urina, & cuiuſcunque coloris magnam amentiæ notam, & propriam futuri furoris ſignificationem nequaquam cælat eſſe. Circulus ſpumoſus in quauis urina, & cuiuſuis coloris compertam in ſtomacho, &

cho, & cognitam intestinorum omniū materiam uiscosam esse monstrat. Ista etiam crassa spuma amplum impedimentum, & assiduam molestiam uentositatis denunciat. Simul & granosa spuma tetrum, & maliciosum stillicidium capitis cadere in partes inferiores notat, quod maximum corporis incommodum, & detrimentū fit, porro hoc quotusquisqꝫ in eiusmodi casu æger & sentit, & patitur. Hic uero albus in omni urina circulus cuiuscunqꝫ coloris firmissimum morbi nuper inchoati signum dicitur. Monstrat autem in unaquaque urina niger circulus iampridem inchoatam capedinem morbi, & diuturnum exitum. Sed circulus rubeus in unaquaque urina perpetuam inchoati caloris discordiam esse significat. Circulus uero perlucidus in unaquaqꝫ signum futuræ sanitatis habet probatum, & cognitum. Quatuor autem circulos urinæ uiri prudentissimi tradunt, quorum unus sit niger

melancholicus, Alter rubeus ſanguineus, Tertius citrinus cholericus, Quartus phlegmaticus, ĳ circuli in ſpectanda urina ſemper inter ſe differentiam, & ordinem conſtituunt, qui dolores, atq; morbos non in capite ſolum, ſed præcipue in ſpina dorſi, ſtomacho, inteſtinis, ipſis deniq; uiſceribus ante oculos omnium medicorum uehementer uarios, & longos demonſtrãt. Conſtãter etiam ſuper diſpoſitionem capitis omnis circulus in parte ſuperiori, ſeu in regiõe urinæ morbos re ipſa declarat. Non aut dubia res, aut obſcura eſt, quin præſertim craſſus circulus ita uehementem, ita crebram grauedinem capitis omnibus & firmiſſimis rationibus notet. Sunt ingenioſi, & prudentes uiri, qui pene in media quidem regione urinæ circulum perſpicuũ apparere arbitrantur. Legi enim & illos, qui in urina funditus nullum circulum re ipſa ponunt, qui ſuper regionem aut cordis, aut epatis ſignificare poteſt. Diſputatus

ſputatus autem eſt mulus uerbis circu-
lus, & dilatatus, iam intelligitur quantũ
neceſſe ſit. Quanta iam utilitas de am-
pullis, & ſpuma comperitur, uel ſequi-
tur, de quibus aliquot regulæ ad uſum,
ad diſciplinam medicam, ad cognitionẽ
ægritudinum interpretantur. Quarum
prima eſt, Ampulla magna circulo co-
herens, & in urina perſeuerans, & adhæ
rentẽ habens multitudinem non modo
cum ipſius urinæ circulo, ſed etiam cum
lateribus matellæ in multis & uarijs
morbis admirabilem peccantis materiæ
cruditatem, & formidabilem humorum
uiſcoſitatem, & quidem cum certiſſimis
rationibus ualde diuturnam ægrimoni-
am euulgat. Secunda regula, Profecto
non eſt dubium, quin apparens in urina
ampulla quando uagatur, quando decli
nat ſe ad eam partem, ad quam applica-
tur urina, ualde modicam uiſcoſitatem
demonſtrat. Tertia regula, Ampulla ue
ro magna apparens in urina cum quo-

cunque rugitu, & omni grauitate ſtoma chi non tam uomitum, quàm fluxum uentris à phlegmatica, uiſcoſa, humida materia ſignificat. Quarta regula, Ampulla planè quidem in urina apparens, cum omni lumborum dolore nihil præter dolorem renum ex craſſo, & uiſcoſo, & phlegmatico humore aut inſinuat, aut declarat. Quinta regula, Ampulla autem in urina apparens, ac multum circulo eius adhærens inſignem capitis dolorem non tam ex uentoſitate, quàm ex uiſcoſitate deſignat. Sexta regula, Multum uero ampulla, & diu quidem in urina perſeuerans pungentem uentoſitatē, & non mediocrem uiſcoſitatem denunciat, ſcilicet in ſtomacho, & inteſtinis. Permagni intereſt, quo ampulla modo uaga ſit, & neutiquam fixa, & permanens, ſed decliuis ad eum locum, ad quem matella aut applicatur, aut mouetur. Quare hoc plurimum notandum puto, Quum præſertim ampulla ex materia

teria uentoſa, & incluſa naſcitur, & fit in humoribus uiſcoſis. Quapropter cruditatem, indigeſtionem, dolorem capitis, uentris, laterum, poſtremo partium adiacentium, & circumſtantium enotat. Sed ad paria documenta aliorum autorum redeo. Nō dubium eſt, quin multum, & diu perſeuerans ampulla uel uentoſitatem, uel cruditatem materiæ, uel diuturnitatem morbi uel paſſionem nephreticam, uel cæphaleam propter uentoſitatem, cæteraq́ꝫ eiuſdem generis quàm primum deſignet. Quid aliud ampulla magna timendum, quid ſuſpicandum indicat, quàm aut uomitum, aut fluxum uentris? ſi rugitus, ſi grauedo præceſſiſſet. Num ampulla magna grandem ſtomachi? num hyliacum dolorem? aut renum oſtēdit ex craſſo, & uiſcoſo, & phlegmatico humore? Num ſpuma continua dominatum uentoſitatis, uiolentiam caloris, incenſionem iecoris ſignificat? At uero nigra ſpuma interciſa talem ſcilicet

ictericiam nigram repræsentat, qualis ex humore melancholiæ fit. Quantam etiã spuma nigra non intercisa melancholiã adustã designat? Est autẽ ea minutis granulis plena spuma intercisa, quæ monstrat multitudinem, & molestiam rheumatis. Spuma enim intercisa uiridis, aut par, aut æqualis tincturæ croci quum incensionem epatis, tum adustionem significat. Spuma autem nigra tam deformem, & magnam ictericiam, ex quadam melancholica materia iterum atq; iterũ indicat. In primis spuma crocea tetram ictericiam ex mira magnitudine cholerę rubeæ ostendit. Item uiridis spuma summam epatis calefactionem sine ulla dubitatione ostendit. Nónne in urina supernatantes ampullæ, atrocem Nephritim, ac morbum longum denunciant? Sed de his hactenus, Quamobrem nũc prorsus, ut ad parua quædam grana, ampullasq; ueniamus. Quanquam etiam grana in quacunque parte urinæ quam

plurima

plurima fuerint, Tamen nihil certius est, quàm quòd periculosam à cerebro pituitã semper fluere significãt, Potissimũ si multum, si diu in urina perseuerauerint. Et quum hæc grana non modo nõ cohærentia inter se sint, quasi spuma intercisa, sed etiam maximè in circulo disiuncta, atq; diuisa in uarias particulas. Illud prorsus certum sit, quòd natantia grana in superiore parte urinæ suo publico testimonio, & perspicuitate ostendunt dolorem capitis ex ipso rheumate. Quòd si quibuscunq; modis urina moueatur, quòd si grana descendant, nec non post motum sine mora rursus ascẽdant ad supremam regionem, quod superest, errantia in media regione grana descensum rheumatis ad neruos, ad iuncturas, ad pedes mirabiliter præsagiunt. Hoc quidem puto rarum, quod paucis accidit. Nam ampulla proprio significatu passionem renum declarat. At spuma quidem perturbationem omnium mem

brorum mediorum, uidelicet cordis ac iecoris designat. Summopere grana cæphaleam re ipsa docent, & indicant, Parua enim grana tantam repræsentant molestiam rheumatis, quantam quidẽ oporteat pati. Et rursus grana, quæ in fundo urinæ considere uidentur, notant cuiusuis mulieris in urina obsignatam esse naturam, & simul eam concepisse. Ea uero grana, quæ rubea apparent, parere masculum significãt, si qua autem alba præsto sunt, ea nec quicquam aliud, nisi prægnantem concepisse puellam incredibiliter cõfirmant. Quod si grana illa hispida sunt, & admodum turbulenta urina, confestim tam tetrum, tam uehemens, tã periculosum rheuma commonstrare solent. Sed quid ego communes regulas proferam? quarum prima sit, Quod totus humor superfluus, & crudus in illa parte superiore urinæ quidem apparens sub circulo, aut post circulum, uicium pectoris, perturbationem spiritalium

mem

membrorum, compreſſionem dyaphra gmatis, deniq; difficultatem anhelitus, eaq́; omnia, quæ his ſunt conſimilia, ſignificat, ut Aſma, & diſma, & orthomia ſit. Secunda regula, At humor ipſe crudus in media quidem regione pendens non modo defectum ſtomachi, ſed etiã uicium interiorum mẽbrorum, itemq́; & rugitum, & repletionem ſtomachi, nonnunquam torſionem uentris, nonnunquam tenaſmonem demonſtrat. Tertia regula, Si ſemper ita crudus humor apparet in parte infima, ut non ullo in loco abundantius cognoſceretur, dolorem lumborum, aut ueſicæ aut potius genitalium membrorũ deſignat. Nam illud quidem addendum eſt, quod in hanc ferme ſententiam alij ſcripſerunt, Quum ſic in urina tam crudus humor, & ſimul ſuperfluus cognoſcitur, ut nullus manifeſtior eſſe poſſit, qui ſpeciem hypoſtaſis habet in ultima regione urinæ, & infima parte collocatus cõmuniter appare

ter appareat, si quoquouersus cõquassata ita urina fuerit, quòd confestim in plurimas Atomorum resolutiones crudus humor dispergatur cum, tùm eius magna significatio medico patet cum summo testimonio summaq; ueritate. Si autem eiusmodi supremam urinæ regionẽ humor apertissime obtinet, non solum documentis, sed etiam communibus signis, omnino uicium pectoris, perturbatiõem spiritalium membrorum, compressionem dyaphragmatis, significat. Vñ molestissimũ aut asthma, aut disma, aut orthomia, aut artetica passio pullulat. Itemq; si secundũ ueritatem occupat mediam regionem. Vnde aliud nihil significatur, quàm ex superflua repletione uicium stomachi, quàm uomitus uentris, & inflatio, quàm rugitus intestinorum, quàm deniq; cętera generis eiusdẽ. Si humor secundum elogia quasi quidẽ infimam regionem obtineat, porro demonstratur magis nihil, quàm morbus

uel

uel renum, uel lumborum, uel genitaliũ membrorum, uel q̃ tenaſmon, quàm nephritis, quàm ſtranguria, quàm non ſolum tibiarum, uerum etiam genuum dolor. Sed iam ad eam deſcriptionem ueniam, quæ propria apparentis ſanguinis eſt. Prima regula, At quidem quum ſanguis uel fruſtillatim coagulatus, uel conglobatus in ipſa urina apparet, & nõ modo grauem, ſed etiam fœtidum odorem parit, & continet, Nónne quidem magnum cum aſſiduo dolore peccatum manare ad ueſicam deſignat? Secunda regula, Quum ſanguis recens non fruſtillatim in urina appareat, nec nõ multo magis in fundo urinæ ſpiſſus iudicetur, ſimiliter manens antea cum quodam renum dolore à ſolis renibus fluere creditur. Atqui purus etiam cum urina ſanguis perinde apparens, ac ſi ex apertiſſimo quodam uulnere flueret, & poſtremo quidem multum mixtus cum ſubſtantia urinæ duntaxat expelleretur

ſuperuacaneam ſanguinis quandã abun dantiã repræſentat. At ille fruſtatim ſe- ctus in urina, et craſſus ſanguis, qui petit fundum, & intrat, & præ ſe fert propriũ ſignum, porro notiſſimum menſtruorũ fluxum ſignificat in muliere. Nam & ta lis fluxus in nulla parte dolentis corpo- ris fit. Venio nunc ad uarietates nubecu larum, quibus ægritudo perfacile iudi- catur. Quædam uero nubecula ſpumo- ſa, quædam uaporoſa, quædam obſcura ſuperfluitas apparet ad ueram araneæ comparationem, aut ad manifeſtam pul ueris ſparſi ſimilitudinem per totam uri nam. At prorſus ea liuida nubecula in regione quidem apparet inferiori, quæ profecto nihil ſignificat aliud, q̃ æthi- cam febrem. Quid uero cum quadam ſpuma uel crocea, uel uiridi umbroſa nu becula niſi ardorem ſignificat iecoris, multitudinem choleræ denunciat? Item & nubecula diſcraſiam, & perturbatio- nem ſpiritualium membrorum ſignifica

re aut

re aut putatur, aut iudicatur. Nubecula quoq; alba pendens in urina summam securitatem significat, Si uero nigra apparet, naufragium perpetuum ostendit. Nihil aliud urinæ crassitudo ueluti tela aranei supernatans, nisi dolorem, & periculum insinuat. Nūc autem ad saniem, aut ad purulentiam in urina existentem uenio, Quemadmodum igitur siquādo ea sanies, quæ pauca in urina cum non mediocri dolore existente circa renes uidetur, aut prauissimum renum apostema, aut ulcerationem indicat. Quid autē est aliud ista multa sanies præsertim cum tam molesto, & prauo fœtore, tanto cruciatu apparente in pectore, quàm acerbissima uesicæ apostemata, aut undique circumfusis ulcerationem molestijs insinuare? Sane urina purulenta, & simul multa, cū uexatione doloris in pectine significantius & apertius notat apostema matricis. Sed quid dicā? si urina purulenta sit aut cum dolore, aut cum pulsatione

ſatione per hypocondrium dextrum, tum apoſtema epatis maturum eſſe, & eruptum denunciat. Quum aũt in ægro purulenta uiſa eſt, qui quum pleureſi, aut empimate laboraret, non modo minuto in ſputo, ſed etiam malis accidentibus remiſſis omnino pleureſim, aut empima per meatus urinæ erumpi, atq; expelli ſignificat. Hic in urina pus cum humiditate mixtum, & cum rubeis con tentis coloratum, & quando etiam ſine moleſtia, ſine difficultate exit, atrociſſimum ulcus præſto eſt in renibus. In primis autem pus cum albis contentis maxime in fundo reſidens ab urina ſic ſeiunctum, atq; diuiſum, & quãdo nimis cum magna moleſtia, & uexatione emit titur, nihil aliud ſignificare poteſt, quàm ulcus ueſicæ. Illa autem urina, quam pin guem, & oleaceam diximus, materiam declarat & pinguem, & craſſam à mem bris reſolutam, quæ non clara, non pura omnino cum urina emittitur. Sẽper autem urina

tem urina pinguis, & oleacea in febribus dissolutionem totius corporis re ipsa ostendit, & insinuat. In primis etiã memoriæ proditum est, quod quum sine febre multiplicem, & mirificam resolutionem lumborum & uesicæ, & renũ demõstrat. Prorsus item pinguis urina, quàm disiuncta, & quàm distincta per omnes partes in quadam superficie, sicuti in iusculo carnis ualde mediocriter crasso, ac sine manifestis resolutionibus primam speciem æthicæ febris commonstrat, & continet. Quum uero pinguedo totam superficiem urinæ occupat, ueluti aranei tela cum quibusdam modicis resolutionibus secundam speciem æthicæ febris aperte significat. Quid igitur est? quæret aliquis. Perspicuũ est, q̃d cũ multis resolutiõibus quoquouersus pinguedo diffusa, si super lapidẽ tantummodo effusa fuerit, recte sonat tanq̃ aliq̃d oleũ, quoquo modo tertiã æthicæ speciẽ ostendit. Hæc aũt periculosissima

 omnium,

omnium, & perniciosissima multis de rationibus dicitur. Atqui dubitat nemo, quin terribilem mortem oleacea urina, modica, fœtida designet. Qualis igitur ista urina est, quæ oleacea in acutis ægritudinibus quoquouersus apparet in quarta die: uidemus ne eam significare infirmum excessurum è uita in septima die: Oleacea uero commonstrat, in cruciatibus colicis, & hydrope appropinquitatem, pernicitatem, uelocitatẽ mortis. Hac nihil tetrius, nihil periculosius oleacea urina, in qua lotura carnis recentis latissime pateat. Deinceps autem de significatiõibus harenularum dicendum est. Prima regula, Quum autem harenulæ non modo rubeæ in colore, uerum etiam duræ in substantia sine uicio febris apparent, si quoq; in principio post apertionem lapidis ita continuo minuuntur, ut postea non appareant cum dolore renum, quantum illum in renibus lapidem confirmatum, uel confirmandum

dum indicant? Secũda regula, Si ſint harenulæ duræ in ſubſtantia, ſi rubeæ in colore ſine uicio febris, Poſtquam autẽ progreſſæ fuerint eiuſmodi harenulæ non ſimulate, non fallaciter apparere in proceſſu lapidem in quantitate maximũ carnificem deſignant. Si continuo multiplicantur cum minutione doloris, tum renum, tum lumborum diſſolutionem lapidis deſignant. Tertia regula, Quid multa? Si eiuſmodi harenulæ non tam albæ in colore, quâm durę in ſubſtantia ſine uicio febris poſt totam eruptionem in principio lapidis tantum continuo diminuũtur, ut nuſquam adſint, nuſquam appareant cum dolore in pectine exiſtẽte, omnem cõfirmatum in ueſica palam declarãt lapidem. Quarta regula, Quid ergo? Hæ nonnunquam harenulæ albę in colore ſine uicio febris appareant, quæ poſt quandam quaſi eruptionem in proceſſu quâm truculentum, & quâm grauem prædicant lapidem in quantita

te, si continuo multiplicentur, si dummodo cum mansuetudine, & minutione doloris fiāt in pectine, nonne signant dissolutionem huius lapidis, qui ab ipsa uesica esset? Quinta regula, Quum harenulæ quidem rubeæ in colore, & molles in substantia cum admirabili uicio febris appareant, num liquido in fine febrium multam humorum adustionem, & uariam denunciant? Quid si deinde generationem, & multiplicationem melancholiæ naturalia membra faciant, postremo ad omnem cruciatum quartanā febris, & erronea nascatur? Quamobrē aliorum scribenda est etiam doctissimorum hominum de harenulis doctrina. Illæ autem non solum sine febre harenulæ aut rubeæ, aut duræ, sed etiam cum uehementi dolore dorsi calculum in renibus confirmatum, uel confirmandum etiam atq; etiam ostendunt. Quid si harenulæ rubeæ, si duræ cum quodam leuato cruciatu aut renum, aut lumborū

apparent;

apparent, ſignificant'ne diſſolutionem lapidis, aut dolorem incredibilem à lapide proceſſiſſe? Quid ergo? Hæ nónne in pectine furente dolore albæ, & duræ in fundo harenulæ reſideant? quæ lapidem quaſi non ſanabilem in ueſica deſignent. At iſta harena rubea, & mollis à renibus manat, & iſta alba à ueſica uenit. Ergo hæc fieri in renibus nepheſim probat, illa in ueſica lytiaſim ſerere poteſt. At quid notiſſimæ harenulæ rubeæ, & molles cum febre uel potius in fine febris niſi horribilem humorum iſtam aduſtionem notant? Hoc nónne turpe eſt dubitare ſapientes? quod ne ruſtici quidem dubitent, quin etiam harenulæ rubeæ ſine ullo dolore, ſine ulla moleſtia incendium epatis, ac renum notent. Atqui ſi in fine cholericarum febrium harenulæ ſpectantur, magnam illam cholericæ febris permixtionem, ad quartanam febrem, & immanem aduerſarium ſanitatis ſignificant. Sed quia non ſem-

per harenulæ ſapientes terrent, non ſem per calculus doctos uiros ſeducit, Quia nonnunquam harenulæ ex articulorum paſſione cauſari poſſunt, aut nonnunq̃ ex quartana febre longa, aut nonnunq̃ ex nimis acuta medicina, tum hæ quodã modo ſe in molliciem deflectunt, & nõ in duriciem, quæ aut fiunt in duplici ter tiana, aut ſimplici: Ob eam cauſam fit, ut nonnunquam hæ harenulæ rubeæ pro- pter intemperantiam caloris febrilis ap- parere integræ ſoleant. Quid autem de pilis manifeſtiſſimis, quid de ſignis eorũ in urina dicam? Prima regula, Si non- nunquam in urina pili tales apparent, quales non modo reſolutiones oblon- gas, & graciles habent, ſed etiam ſunt in ſolida ipſa ſubſtantia, & pingui exiſten- te. Quamobrem plurimam reſolutionẽ renum, & lumborum recte quidẽ oſten dunt. Secunda regula, Quod quia pili in urina aliquantulum craſſi etiam at- que etiam in ſubſtantia apparent, iccir- co quàm

cto quàm primum premantur, confestim euanescant. Tales enim in uicio febris multam oppilationem à crassis & uiscosis humoribus fieri omnino notãt. Tertia regula, At quidem in urina pili non solum apparentes in substantia solida, sed etiam cum pingui & oleacea urina cum febre dissolutionem æthicæ fieri docent. Item planissime ostendunt subtiles pili in superiori regione stricturam pectoris, Longi autem, & crassi in parte inferiori ualidissimo possunt signo renũ dolorem ostendere. Item per uniuersum urinæ corpus dispersæ resolutiones pilosæ maciem quidem corporis significãt. Item perspicuũ est, quòd pili etiam crassum in concauitate renum humorem attestantur peccare. Sed quidpiam ad hoc documentum addam, quod ita notandum est, Quod pili sane non sunt de substantia renum, sed præsertim ex crassis, uiscosis, frigidis humoribus causantur. Quidam etiam à suprema caliditate agẽ

te in humidum cum notabili ſigno tũt.
Quid ſi rubei, ſi citrini pili ſine flamma
febris in urinæ quacunq; regione ſint,
nónne obnoxiam renum caliditatem
patefaciunt? Quis hæc neget uera eſſe,
quòd in ſolida ſubſtantia pingues pili
ſine quauis ſcintilla febris fortem, & ma
gnam renum & lumborum diſſolutio-
nem monſtrant? At craſſi pili in ſubſtan
tia quoquo modo euaneſcunt, ſi com-
primantur, uel an ne ſat ex agitatione uri
næ reſoluuntur? Nam quod aiunt, oc-
cluſionem ſignificant à craſſis & uiſco-
ſis humoribus fore. Quid autem cum
ſolida ſubſtantia pili in urina, & cum
oleacea urina exiſtente in uicio febrium
plus ſignificare potuiſſent, quàm diſſo-
lutionem corporis ſignificant, & con-
ſumptionem æthicam, & diuturnam
paſſionem? De ſquamis pauca dicam, ut
potero, incondite fortaſſe, ſed tamen ut
ſenſus capi, & res illuſtrari poſſit. Nam
illæ tantũmodo ſquamæ latæ & rotun-
dæ &

dæ & ad cōparationē & ad similitudinē squamæ piscium sunt. Prima regula est, Porro squamę apparentes in urina cum recta & uera digestiōe urinæ sine aliquo fomite febris, præsertim siccā, molestā, & debilem scabiem demonstrant, unde corrodi, atq; excoriari uesica posse uideatur. Secunda regula, Quid quòd in urina tales squamæ apparentes sine concoctione naturali cum scintilla, & uicio febris, primam quidem speciem æthicæ ostendunt fieri. Atqui squamæ, & sparsæ, & resolutæ, si certè in urina mulieris fuerint, quantum partium inferiorum dolorem, uel quantam potius dissolutionem totius corporis signare possunt? Sed quid hoc documēto dici certius potest, aut quid plura recitamus? aliquot tantopere regulas de furfureis resolutionibus declaremus, quarum prima est, Quibus, & qualibus rationibus furfureæ resolutiones ad modum furfuris dicuntur, quæ quidem quando in urina

cum recta concoctione appareant sine uicio febris, an non significant permagnam scabiem, atq; extremam ulcerationem uesicæ? Secũda regula, Quid ergo rectè morbum æthicum furfureæ resolutiones signant, quæ profecto in urina apertissime appareant sine omni digestione cum perpetuo uicio febris. Tertia regula, Si hæc quidem uiri rubea urina fuerit, quæ cum aliquos & continet, & habet globos quasi furfureos intra currentes, in stomacho nónne monstrat maleficos, & mordaces uermes? Si autẽ prægnantis fuerit, num globi albi masculum signant? Nihil enim globi nigri aliud, nihil alterius coloris, quàm prægnantem concepisse puellam designãt. Modo ad eas quoq; crinoides ueniendum est, quæ manifestissimæ sunt resolutiões, & quũ semper maiores probantur, quàm furfures. Prima regula. Quomodo autem istæ crinoides rotundæ in propria quidem urina appareant, & albæ quidẽ

bæ quidem in colore, & crassæ in substã tia, quæ quartam urinæ partem occupare uidentur, Quid igitur certi efficiunt, quàm tertiam speciem æthicæ cum summo periculo, & perpetuo significant? Secunda regula, Quando enim rubeæ crinoides in colore sint, quando similiter subrubeæ appareant in urina, aut deniq; in acuta febre, num aut subitam dissolutionem corporis aut propinquam mortem prædicant? Tertia regula, Quę albæ, quæ rotundæ crinoides sint ad modum loturæ amidi, illæ omnem uim significationis super podagram, aut super conceptionem habere possunt, Tũc in ea ipsa urina quidem contenta, aut quasi fila quædam, aut quasi quædam semina appareant, quæ procul dubio eiusmodi in primis diebus septem fieri potest. Sed redeo ad plura eiusdem sententiæ testimonia scribenda, quæ quidẽ authores memoriæ prodiderunt, Quid nimirum igitur de squamis, quæ latæ re-

ſolutiones, quæ rotundæ ſunt, quæ qua ſi in uniuerſa membrorum ſuperficie non ſolum in actione caloris laniantur, ſed etiam eradicantur, & fiunt tanquam furfures, qui ex tritico fieri ſolent, & ſquamis piſcium comparantur, unde pe taloides appellari, & ſquamæ ſolent. At id quidem ſemper proprium furfurum eſt ſignum, quod ad comparationem di ſpoſiti furfuris habet quaſdam reſolu- tiones, quæ tantum ex uiolentia caloris à membris decidunt. Nec uero ſolum al bedinem occupant, & habent, ſed etiam multo craſſiores ſquamis ſunt. Tantam in urina ſquamæ poteſtatem ſine febre habent, ut hanc ſiccam ſignificant ſcabi em, quam quiſpiam patitur. At quidem illud unum ſine aliqua febre, aut ſine ali quo corporis dolore furfureæ reſolutio nes ita deſignant, ut omnem corporis ſcabiem, aut omnino præſens prurigi- nis incommodum eſſe doceant. Ita ſine ullo febris uicio ſe furfures habent, ut
ſecundam

ſecundam morbi æthici ſpeciem ſonarę uideātur. Quid furfures cum grauitate, quid cum dolore circa regionem pectinis monſtrant, niſi ulceratiōem ueſicæ? Nam quæcunq; crinoides ſunt, ut craſſę reſolutiones, ſic natāt, ut publici crines, qui craſſiorem particulam tritici ad ſimilitudinem habere non negant, quæ particula in principio per molam attritionis, & molitionis, & contuſionis de cōparatione grani diuiditur. Et fortem, & formidoloſam tertiam ſpeciem æthicæ poſſunt in urina crinoides ſignificare. An igitur rubeæ crinoides, an nigræ ſine graui, ſine acuta febre ſignū peſſimū dent? deniq; iſtam longiſſimā ægritudinem notent. Sed declarauimus & ſquamas, & furfures crinoidesq;, ad parua corpuſcula, atomosq; ueniamus, quæ præſertim aut albæ aut rotūdæ apparēt. Prima regula, Quid uero certius eſt, q̃ q; atomi apparentes, & in fundo inſidētes dolorem non modo ſcilicet in membris

generatiuis,

generatiuis, ſed etiam in genibus, & pedi bus, & tandem recte podagram ſignificant. Secunda regula, Prorſus hæ quidẽ atomi non ſolum in media regione apparent, ſed etiam cum dolore ſæuiunt, quæ ergo guttam membrorum interiorum nunciant ut ſtomachi, ut epatis fieri poſſe. Tertia regula, Si tantummodo in urina atomi aut appareant, aut natent in ſuperficie, aut in ſuperiori regione, quæ ſtatim quidẽ ſub circulo eſt, nihil ſignificãt aliud niſi guttã in ſpiritalibus mem bris. Quarta regula, At quidem illæ ato mi per totam urinam apparentes ſunt, quæ ſignificant per totum corpus nimium ſæuire guttam. Ob eam cauſam non aliò ſe mouere imbecillus, non aliò ducere corpus poteſt, ut profecto id quàm ſæpe accidit. Quinta regula, At quid ſi atomi in urina appareant, ſi intra reſideant, ſi conglobatæ ſint ad modum bombycis carminati, nullum erit certamen, quin etiam tales atomi ſint, ut amidi pin

gues,

gues, quod quidam affirmant, quia certum est signum matricem concepisse, et quia talis mulier est prægnans, ac si de legitima quidem causa mulier non esset prægnans, tunc est urina pinguior, crassior, densior. Si abundãtes in aliquo latere adhæreant atomi uel grauem hypocondriorum dolorem, uel aliquorũ apostemata membrorum ostendunt. Item quid faciat una atomus, uel duæ? plane aliud possunt nihil, nisi dolorem hypocondriorum significare. Item quid dicam? Quum uero aut similæ, aut farinæ huc & illuc quasi albæ se mouentes quoddam incendium præcipuum sanguinis declarant. Quod si etiam lucida in substantia erit urina, super quam aliquid crassum, aliquid simile nubibus natat, tum omnino grauida mulier fit. In urina enim atomi ad modum granorũ mirabiliter sane, atq; manifeste ascendunt, & descendunt, & siquando conglobatæ infra apparent, promptam &

ueram notent conceptionem. Item quis eſt, cui non perſpicua ſint illa, quòd euidentibus de cauſis primum ſubruffæ, deinde rotundæ atomi conceptum quidem maſculũ denunciare ſoleant? Num igitur albæ? num quaſi liuidæ? num late conceptam fœminam indicant? Nónne tantum commodi atomi iſtæ habent, quantum illis medicis neceſſe eſt? Deinde plura etiam eiuſdem ſignificationis apud autores ſcripta ſunt, qui ſapientes habiti ſunt, & nominati. Atomos ita interpretantur ut quæ quaſi parua grana, quæ rotunda, quæ nonnunquam alba, nonnunquam ruffa ſint, recte non tam guttam in uiris, quàm in mulieribus repræſentant. Nihil enim diſceptandum eſt, præſertim quoniam modo atomi, in matula ad fundum apparere atq; reſidere poſſint, quæ acerbiſſimum dolorẽ poſſunt in generatiuis membris, & in genibus, & in pedibus ſignificare. Quòd ſi atomi in media regione appareant,

reant, significatio uera est in spiritualibus membris, quod quum dolor, tum gutta toleranda est. Ita nec ut à regione cesset generandorum membrorum, nec ut usque ad ipsum dyaphragma quicquam omittat, nihil simulabit, aut dissimulabit sæua gutta. Quicquid enim est in atomis, quæ supremam regionem occupãt, id superiorum partium guttam denunciat. Nam nequicquã aliud atomi significant, quàm omnium membrorum guttã, si natauerint per omnes partes urinæ. Hæc est igitur illa lucida, & pura urina in substantia, in qua aliquid crassum, aliquid simile nubi apparuerit. Neque enim id in ea cælatur, quod reperitur, quum in ea globosa atomorum quædam multitudo modo descenderit, modo ascenderit. Quid? Ergo paratam conceptionem mulieris notat. Vagantes autem in parte superiori atomi pingues ad æqualem amidi formam, & infra residentes, quæ sanè postea modicum congelan-

tur, nec quicquam ſignificant, niſi mulierem concepiſſe. Quid ſi aut ruffæ, aut ſubruffæ, aut rotundæ fuerint formulæ, nónne prægnantem ſignificant maſculum concepiſſe? Si nempe quodam modo liuidæ, & latæ formæ appareant, nónne prægnantem obſignatam habere naturam, & concepiſſe puellam indicant? Quòd ſi mulier non concepiſſet, & funditus huiuſmodi ſigna appareant, mediusfidius guttam in muliere ſignificare poſſunt. Diſputandum autem eſt diligenter de ſpermate in urina. Prima regula, Nullum enim eſt dubium, quin hoc ſperma, quod per uarias partes diuiſum eſt, uel cum ſubſtantia etiam atq; etiam incorporatum apparet, nunciat ſuperfluitatem in coitu, & uoluntatem pręceſſiſſe. Secũda regula, Quòd ſi hoc ſperma in urina conglobatum ſit, & fruſta craſſa contineat, manifeſtiſſimam pollutionem nocturnam monſtrat, Dummodo eiuſmodi res continentiam coitus habuerit.

buerit. Tertia regula, Quòd ſi undique ſpermaticum contentum quidem fuerit rubedini admixtum, cum quibuſdam granis ſubtilis ſubſtantiæ, ſi cum quibuſdam etiam rubeis granis ſeiunctis à ſpermatico contento diſcernatur, ſic monſtrare fluxum menſtruorum poteſt. Quarta regula, Quum igitur id quidem ſperma gonortheos, & deſperatam aliquando in genitalibus membris paralyſim demonſtrat, quod frequētibus & multis uicibus apparet. Quinta regula, Illud quidem contentum ſpermaticum poteſt ſignificare maximum, & uniuerſum fluxum menſtruorum, quod incredibili ſuo teſtimonio, & ueritate admixtum nigredini ſit. Sexta regula, Spermatica enim reſolutio tam proprie, tam uere diſpoſita in formam, & in figuram lanæ carminatæ quantam indicat uaſorum genitalium repletionem: quæ multis modis aduenientem, & creſcentem dolorem hominibus demonſtrat. Septima regu-

ma regula, Globoſa autem, & craſſa re-ſolutio ſpermatica, ut bombyx, communiter abſolutam, & perfectam in muliere conceptionem oſtendit. Sed animaduertenda aliorum ſcripta autorum ſunt diligentius de ſpermate, quod in urina ſperma fundum magnopere petens, aut publicè in fundo reſidens ne quid aliud contra ueritatem ſignificet, ne quid per experientiam, niſi coitum, aut nocturnã illuſionem, aut affectum uenereorum operum præceſſiſſe. Hoc etiam globoſum ſit ſperma, & cũ urina fruſta craſſa habeat, quod incredibilem abſtinẽtiam coitus, & pollutiõem nocturnam declarat. Quod cum repertum ſit, ut multis uicibus hoc ſperma frequẽtiſſime apparens, nec aptius quicquam ad tuendam ueritatem, quâm genorrheam, uel ſiquãdo non mobilem paralyſim membrorũ genitalium, uel ſummam fragilitatem uirtutis retentiuæ, & poſtremo miram corporis conſumptiõem monſtrat. Sed

de his

de his hactenus. Nunc plurimis testimoniis, & iis quidem claris, & illustribus ad enodandas resolutiones ueniamus. Prima regula, Quid est, quod afferre tantum resolutiones istæ non possunt, quæ prorsus uel cineraceæ, uel subnigræ in colore, & subtiles, & molles in substãtia nõ solum separatæ, uerum etiam per urinam sparsæ, aut etiam in fundo residentes condilomata, hoc est, has hemorrhoidas, quæ non fundunt sanguinem aut eam matricem, quæ retẽtionem menstruorum patitur, significant. Secunda regula, Num uel cinereæ uel subnigræ resolutiones in colore: num crassæ, & molles in substantia non separatim per totum fundum lotij apparentes modo hemorrhoidas fluere, modo menstruorum fluxum denunciant: Tertia regula, Cinereæ autem resolutiones sunt, uel subnigræ in colore, & crassæ, & molles in substantia uicissim adhærentes in fundo lotij, quæ multam, & grauem osten-

dunt ſplenis paſſionem. Quarta regula, Quanto hæ reſolutiones manifeſtius, et tetrius phlegma aduri demonſtrant in fine phlegmaticarum febrium, quæ aut non modo cinereæ, aut ſubnigræ in colore, uerumetiam molles in ſubſtantia appareant. Item quid contenta ſcintillarum inſtar, & incredibiliter puluerulenta ; aut detegũt periculoſam, aut malam diſpoſitionẽ ſplenis, ani, & matricis. Iam nunc de collecticia doctrina cęterorum diſputãdum eſt, Vnde in ſuo cineraceæ, & ſubtiles colore reſolutiones primum adhærentes, deinde congregatę mutuo, & uiciſſim in fundo reſidentes indicant ueram reſtrictionem menſtruorum. At quidem nihil aliud cinereæ reſolutiones coloris ſubnigri per totam urinam ſparſæ niſi præſentem fluxum mẽſtruorum ſignificent. Ne quis dubitet, quin cinereæ reſolutiones, tum ſubnigræ, tum craſſæ, tum ſubſtantiæ adhęrentes, quantam ſplenis paſſionem & duriciam, &

apoſtemata

apoſtemata fore indicent. Iſtæ autem cineraceæ reſolutiones in calce phlegmaticarum febrium uidētur non ab re, quę poteſtate, & uicio phlegmaticam febrē ad melancholiam permutari denunciāt, Quippe quum quiſpiam cinis in urina ualde appareret is formidoloſos inferiorū partium cruciatus, ut potiſſimū matricis, retentionem menſtruorum, profluuium hemorrhoidum, poſtremo languorem ſplenis publicat, & euulgat. Ergo hoc quidem compertum eſt, ut alij condilomata, alij duras reſolutiones, alij rotundas, alij apoſtemata quodam ex ſanguine melancholico & nata, & congelata in ſummo uertice uenarum eſſe dicāt. Nam cōmuniter tanta huius cineris uis eſt, ut ficos etiam in ano, & attrices monſtret, atque nunciet. Ac circa podicem eas collectiones factas ex ſanguine melancholico palam, & ſtudioſe ſcribunt medici eſſe, quæ & hæc ani tubera praua inducunt, & maxime fraudulenta, ex qui

bus morbis dolores atroces naſcuntur. Hypoſtaſis autem docenda, & declaranda, & præ ſe ferēda eſt. Nihil enim aliud continet, & prædicat quàm fundamentum, & ſuperfluitatem tertiæ concoctionis, quum præſertim urina in ea matella ſpectatur, in quā mincta eſt, & prorſus quidem ſecundum locum poteſt tres differentias habere. Si enim appareat eadem hypoſtaſis ſubſiſtens, quæ â fundo non repulſa eſt, non perperam ſedimen appellatur. At ſi illa quidem hypoſtaſis fuerit, ut à ueteribus medicis ſcriptū eſt, ſubleuata in mediam regionem urinæ, quam Eneorima græci uocant, quaſi quoddam dependens, ſi duntaxat illa uſque ad ſuperiorem partem propulſa fuerit, quam nephilim græci uocant, id eſt nubem, nam tum hypoſtaſis laudabilis, tum naturalis, tum alba, tum ſedens in fundo matulæ debet eſſe, tum mediocris inter ſubtilitatem, & craſſitudinem, ac ſimul addatur rotundæ figu-

ræ con

ræ continuam ſimilitudinem pyramidis habens ſine commutatione, ſine interruptione partium & quaſi leuis pinna in motu. Si matella moueatur, nunquid cito ſupra aſcendat ſine turbamētis liquoris? Si uero planè quieſcat, nónne ſubito uaga, & natans ad partem inferiorem reuertatur? De his autem rebus commodiſſime apud autores documēta tractata ſunt. Primum documentum, Quicquid nebuloſa hypoſtaſis habet, id uicioſam uentoſitatem, & craſſam cruditatem indicat. Ergo hoc quidem perſpicuū eſt, quòd hi morbi, qui ualde ſurſum materiam ducunt, prorſus notant quodam in principio naturā digerere, & craſſam humorum uentoſitatem diſſoluere, & ſubtilem reddere. Secundum documentum, Etenim quod poteſt eſſe dubium, quum & hæc nebuloſa hypoſtaſis, quæ in fundo conſueuit natare, in quopiam morbo, quàm maximum periculum indicat, & quia ſemper fugere non à con-
 uenienti

uenienti uictu morbi naturam prædicat propter crassitudinem, ac maximum humorum onus. Quid est autem certius q̃ quòd nigra nebula in superficie lotij mõstrat propinquam necem? Tertium documentum, De hac quidem nebulosa hypostasi apud ueteres sancitum est perpetuis argumentis, quæ suspensa nõ modo mediocritatem concoctionis, sed etiam tum uentositatem, tum cruditatẽ sursum aut tractam, aut leuatam celeriter dissoluere insinuat. Quartum documentum, Quòd si hypostasis dicitur alba, æqualis ac cõiuncta in motu quasi leuis ut modo sæpe dixi, & paulopost scripsi, ac similiter ad imam partem natans perfectam atq; absolutam concoctionẽ diligẽter arguit. Quintum documentũ, Hæc est autẽ illa hypostasis alba, leuis, diuisa, quæ quidem naturam aut segnẽ, aut pigram significat ex morbi materia, tamen perbene digerendam. Sextum documentum, Quid ergo aut in fundo

aut

aut in parte ima hypoſtaſis alba, & diſiuncta tetrior eſt leui, quia planè multã uentoſitatem, ac cruditatem in multitudine commonſtrat, quam nec ullo modo natura poteſt diſſipare. Quamobrem improbanda, contemnenda, formidanda eſt. Sed quoniam de proprijs hypoſtaſis coloribus diſputandum eſt, Cuius color albus, lenis, æqualis, coniunctus ſelectam, laudabilem, ſalubrem diſpoſitionem corporis demonſtrat. Sed animaduertendum eſt diligentius, quanquam color rubeus longiſſimum morbum, & nimiam materiæ cruditatem nunciat, tamen communiter aſſequi admodum ſalubrem ægritudinem ſolet. Peior rubeo quidem eſt ſubrubeus, qui præſertim quum de quodam aquoſo ſanguine naſci poſſit, diuturnitatem morbi ex humorum cruditate monſtrat, in qua uix quicquam poteſt eſſe laudabile. Quiſque uidet, credo, ut color niger in unaquaque hypoſtaſi mortem demon-

ſtret non nimis fortaſſe repentinam, tamen propinquam. Itaq; talis color non modo propter nimiam incenſiōem, ſed etiam propter frigiditatem ſæpenumero fieri ſolet, Primum ſi color liuidus præceſſerit, Deinde niger. Nónne hoc certum eſt? ſi primū purpurea hypoſtaſis ſit, deinde nigra, quòd ne ruſtici quidem dubitent, quin ipſa mors fores pulſet, atq; appropinquet. Sed notiſſimus in qualibet hypoſtaſi unus color niger eſt. Quòd ſi urina alterius coloris fuerit tum & explicat & preſagit interitum hominis. Quid igitur? poteſt ne illa hypoſtaſis nigra, & ſimul urina nigra, & maxime granoſa cum argumentis inuiolabilibus, & ſignis ſignificare mortem terribilem? At enim magna eſt prolixitas morbi, ſi uel in primis roſacea, uel arſenica hypoſtaſis ualde tenuis, uel ſubtilis apparuerit in liquore. Quid color glaucus cōgruit & moderato, & temperato loquori? uel potius choleram diuulgat.

Quid

Quid eſt, quod tantum monſtrare color ille quidem citrinus in febre poſſit, niſi cholericam materiam peccare? quantam poſt lõgum tempus ſalutem affert, ſi imò crudos naturaliter, & non digeſtos mõſtrauerit humores, ſignificat'ne bonum, & malum? Nemo unquam dubitauit prudens, quin hæc eadem hypoſtaſis, quæ ſi nebuloſa extiterit, complendæ digeſtiõis infirmum ſpe donet. Hæc enim natatilis parum eſt ad digerendã materiam conſentanea, uel potius ad cõplendam concoctionem parata, quæ ſi in fundo extiterit, quid ea? crudos ne uidetur, an graues humores cum craſſitudine quidem monſtrare? Dummodo hæc hypoſtaſis liuida eſt, nónne notat mortificationem? Eadem hypoſtaſis, quæ non ſolum in ruffum, ſed etiam in glaucum colorem mutatur, ſanitatem infirmi denunciat. Si uero alba, ſi granoſa, ſi & in partes diſpertita hypoſtaſis ſit cũ quadam febre aut acuta, aut ſolida, aut

continua

continua fiat, necesse est. At uero hypo-
stasis acuta incredibili phlegmaticos hu
mores caumate febris continet inflam-
matos, & indicat. Quid tādem ista squa
mosa cū frequentia febris non tam mem
brorum exteriorum quâm durorum, &
iam potius subtilium declarat? Quid er
go, si furfurea hypostasis apparuerit,
quæ quum fœdissimam, & teterrimam
humidi dissolutionem, tum perniciosam
uesicæ excoriationem monstrare uide-
tur, ut proditum memoriæ apud Gale-
num est. Nihil aliud squamosa hyposta-
sis, quâm durorum aut macritudinem,
aut consumptionem membrorum satis
recte non cælat. Neque enim id cælan-
dum est, quòd semper furfurea fortiorē
calorem nunciat in perforatione mem-
bri. In primis crassa sicut farina hyposta-
sis communiter ad maciem consumptio
nis appropinquans, duorum in parte
quidē membrorum, quid certius, quàm
mortem post longum interuallum tem
poris

poris prædicet? Quid denique multa? Quotiescunque hypostasis sicuti farina crassa in febribus sit, non tam grauissimi morbi diuturnitatem, quàm interitum ante diuturnitatem uulgo denunciat. At ea hypostasis, quæ quasi ad quandam fracturam lentium nominatur, explicat, & simul denunciat tetram, & detestabilem passionem epatis. Illa ipsa hypostasis, quam dicam, ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut obscura res possit percipi, & cognosci, ad notissimam orobi fracturam fit, & hæc fortasse in sanguinea complexione accidere potest, quæ omnem fermè consumptionẽ aut epatis, aut renum, aut totius corporis notat uarijs modis. Harenosa autem hypostasis monstrare calculum non tã in renibus, quàm in uesica uidetur quidem secundum repugnantiam, & dissimilitudinem granorum, ut sæpius dixi. Quid? quòd cineracea hypostasis, si multo quidem subtilior à tenuitate, &

subtilitate

ſubtilitate diſceſſerit, non modo in febri bus manifeſtare, ſed ne ſonare quidem quicquam aliud poteſt, quàm rigorem ſuperuenturum. Ergo ſi ſine febre appa ruerit, nempe ſignificat tot cholericos humores, aut parũ digeſtum phlegma, ſi prorſus abundantiam quandam craſſi tudinis habuerit, quòd tum publicat cũ febre craſſam ſęcum multitudinem, tum uiſcoſitatem earum, tum etiam longam ægritudinẽ. Quòd ſi ſine febre apparu- erit, nónne hæc ſunt remiſſiora, quæ ſi- gnificat? At quidem omnis nigra hypo- ſtaſis, quemadmodum medicis noſtris uidetur, in primis magnitudinẽ naufra- gij, & fortitudinem mortis inſinuat. Si granoſa, ſi aſpera ſpectaretur, ſi & potiſſi mum nigra urina fuerit, num rubeus, ci trinus, uiridis color ipſius hypoſtaſis mediocritatem inter bonum & malum continet, occupat, habet? Nam quod au tores aſſenſi ſunt, quòd rubeus multo laudabilior ſit duobus cæteris, quum

propior

propior, tum amicior ſaluti, uiridis uero perniciosior ſane ſit, in quo enim tota peior, & inſtabilior, minorq́ ſanitas fore uidetur, quia & prauam humorum incenſionem, & conſumendam ſanguinis humiditatem enotat. Color uero in hypoſtaſi citrinus nimirum arguit non ſolum bonum, ſed etiam malum. Videmus ne ut apud ſummos medicos ſæpiſſime hypoſtaſis multam uarietatem materiarum contineat contra naturam? Quoniam quædam quoque eſt, quæ ſuam præſertim fracto tritico ſimilitudinem cõparet, Et comperitur quædam hypoſtaſis ea, quę aut eſt ſimilis, aut par orbo. Praua in primis utraque non modo liquefactionem membrorum, ſed etiam aduſtionem humorum mirabiliter oſtendit, & mala eſt in acutis ægritudinibus, Sed ſi occupauerit colorem rubeum, monſtrat humorem ſanguineũ uiſcoſum peccare. Omnino illa etiam quidem non occultat aduſtionem epa-

tis, aut

ac per quaſcunq; partes continuum eſt habens formam pyramidum, uel figurã ſuam, & quod nec ullo in fundo matulę reſidet. Si igitur crebro illud in proceſſu ęgritudinis continuetur, primum autem perfectam chriſim, deinde ſummam bonitatem eius, ac perpetuam ſalutẽ incredibiliter enotat. Hypoſtaſis non laudabilis noſcitur in primis, ex manifeſtiſſimis ſignis, ſi illud ipſum ſedimen ſit aut rubeum, aut ſubnigrum. Num igitur talis hypoſtaſis longam ægritudinem iſtam ſignificat? Multa iſta hypoſtaſis ſi ſpectetur in corporibus ſanis, plurimum ſalubritatis naturale quiddã notat, quòd corpus ſuo tempore ſatis perbelle nutriatur, & quôd membra plena fortitudinis, plena bonæ ualetudinis non modo ad agitãdos, ſed etiam ad propulſandos ſuperfluitatum humores per hypoſtaſim eſſe uideantur. Nec uero macrum, nec pingue corpus ſignificat, quo quidem temperamento quid poteſt eſſe laudabilius?

dabilius? Sed in corporibus hominum recte ſanis nulla hypoſtaſis, nullum ſedimen ſpectatur, ſi tantum cibi, & potionis adhibeatur, ut debitus modus poſtulet, & ordo obſeruetur, non opprimatur. Nec uero ſolum hypoſtaſis multa, & alba, & ſubtilis, ſed etiam mediocriter rotunda, atq; in motu leuis plane ſecundam ualetudinem, plane ingẽtem membrorum uirtutem indicat, uſq; ad completam digeſtiõem. Veruntamen uarietatem multitudo eius, & abundantiam humorum non occultat. Sed uidemus, ut hypoſtaſis multa in languidis corporibus, & alba, & rotunda, & coniuncta, & ſimul leuis naturam morbi à ſuperioribus membris ad inferiora defluentem ubertim demonſtrat, tum uel maxime quod in die decretorio apparet. Sed quid opus eſt plura? Si enim huiuſcemodi hypoſtaſis aut cum delirio, aut cum alienatione obtigerit efferis febribus, ſi quoq; aut ultro aut citro capilli ceciderunt,

dicam uentoſitatem publicat. Sexta regula, Hoc quidem perſpicuũ eſt quòd aut ſedimen, aut hypoſtaſis in ſumma regione quidem natans, prorſus omnem uentoſitatem quàm maximam explicat. Septima regula, Quamuis quodcunque quum fuerit ſedimen, tamen ſi illud non fuerit perſeuerans, ita ut uno die laudabile appareat, & ut altero quidem non adſit in urina, quod quantam debilitatẽ, quantum defectum aut naturæ, aut uirtutis arguit. At uero granoſa, ſquamoſa, furfurea, nebuloſa, uiridis, liuida, nigra, pernicioſa, mala, peſſima hypoſtaſis eſſe ſolet. Quid ualet igitur alba non magis liquida, quàm pinguis tanquam mala, ut eſt apud Hyppocratem autorem excellentiſſimum in eo libro, quem de præſagijs ſcripſit. Alba undecunque ſingularem digeſtionum bonitatem denunciat. Itaque ipſa urina interdum alterius coloris eſt, interdum rubea, quæ quamuis longum morbum deſignat, ta

men

men impense salubrem. Subrubea igitur dicitur nonnunquam, quæ longiorem morbum significat, Rursus si quando uel uiridis, uel liuidi coloris est, significat mortificationem, Rursus si quando coloris nigri est, tũc signum mortis est. Sed modo hoc loco regulas relinquam, & ad conditiones accedam, quarum prima ista est, Quæ continuatam substã tiam, & perfectam in suis partibus habeat, quod signum est digestionis, quam quidem uidemus plane esse completam. Quid ergo? aut in ea quid melius, quid salubrius est, quàm quòd nõ aliqua aut dirimens, aut impellens uẽtositas remansit? Secunda conditio, quod hoc quidẽ ipsum sane luculenter, & probabile elucere declarat, quod ut satis à parte perfecta, & cognita, & sumpta esset, Quòd hypostasis ista tales conditiones agit & molitur, quales probabilis constanter hypostasis cõtinere uidetur. At ob eam quidem causam id notatur, quod acce-

 dit eodem

dit eodem uniformis materia, & quod etiam cum ea nunquam natura díſcordare poteſt. Quãobrem de ratione uictus dubitari non poteſt, quem optimus quiſq; ſummo ſtudio, ſummoq; regimine & obſeruat, & cuſtodit. Quando autem hodie laudabilis, integra, bona hypoſtaſis apparet, cras uero & díſcors, & mala ſpectatur, Illud autem facit regimen, quod homo neq; abſolutum, neq; rectum idem cuſtodit. Tertia conditio, quæ quum tam bona, tam perfecta, & abſoluta forma, & figuræ ſit, Ob eam credo cauſſam nonnulli ſcribunt talem figuram, qualis ſcilicet figura hypoſtaſis proprie, uereq; lata infra eſſe debeat, ea autem acuta ſupra dicitur, cuius quum non craſſiores partes modo baſim conſtituant, ſed etiam undiq; acuant leuiores, quod cũ ita ſit, ſic ponunt quidã ſimilitudinem hanc recte introductam, ut id facillime omnino in flamma ignis perſpiciẽdum patet. Quo circa illa ipſa forma com

ma communiter in modum pyramidis esse solet, & debet, unde nulla hypostasis uel ualde pauca aquæ instar rosaceæ haberi potest, præsertim cum in ægris multo esse maior debet. Ea enim ipsa uirtus non est ita potens conterere superfluitates, & consumere, quum forsan cholerica materia aut corpus rarum, aut fortis uictus, aut calidum tempus esset. Quarta conditio, Sanè autem & naturaliter locus esse basis in fundo debet, in quo quidem ita ipsa cuspis supra continuari solet, ut quicquid utile esset, id per hanc conditionem significaretur, nec dubij quicquam est, quod nõ aliqua ibi uentositas impellẽs ostendit, ubi ea materia diuersarum partium esset, Cuius præterea ibi uentus impellit hypostasim usq; ad supremum locum urinæ. Quare hæc perfecta digestio nimirum ostenditur, in qua ipsius uenti nulla pernicies remansit, qui impelleret de partibus hypostasim. Quamobrem id quidẽ

non

non est dubium, quin illa cum nigra hypostasi residens tetrius iudicatur, quàm sit supernatans, Quicquid enim nigredo parat, & gignit, id mortificationem signat. Sed quando hypostasis supernatat, quod quum materiam color ibi aliquis est mutans in uaporem, & resoluens, itaq; non solum in hac parte scribẽdi, de qua hoc loco differendum est, sed etiam in ipso fine quid oporteat, quid deceat, manifestatur. Nam quod & in sanis corporibus fieri & in complexionibus temperatis hypostasis solet alba, lenis, æqualis, quodq; solet in fundo residere, omniq; in parte, quid sit perfectũ, & sanum uidere, & tueri repræsentat. Contraq; nigra labi, iacere, mutari, infirmari tam insinuat, quàm consumi, & breui moriturum esse hominem, & quanto tandem paucior, & minor, tanto sanior, & melior esse uidetur. Omni igitur ratione materiam peccantem, præsertim in urina, quantum fieri potest, hypostasis

demonstrat

demonſtrat ad cognoſcendum corpus ſanitatis, in quam unica uirtus continuo, fortiter, excellenter agit. Ideo credendũ illud eſt, quod ſi nulla quidem hypoſtaſis in urina hominis ſani eſſet, ſic unuſquiſque in ſanitate perfecta eſſet. Id igitur compertum dicitur, quod nullam ibi eſſe materiam declarat, in quam maxime uiriliter, magnoque uigore ipſa uirtus agere poſſit, Ex quo quia non inuenitur talis ſanitas, ergo hoc quidem perſpicuum eſt, ut quum omnis ſanus homo in urina ſana aliquid hypoſtaſis habere debeat, Quanto autem paucior, & pulchrior, minorque hypoſtaſis fore uidetur, tanto uero laudabilior, atque ſanior habetur, & nominatur, uel potius de omni ualde abſoluta, & perfecta ſanitate & quoquo modo perfectiore communicat, ut de qua ſupra copioſe ſcripſi. Quid enim commodi ſecundum craſſitiem, & ſubtilitatẽ uariatio urinæ habet, quid potius teſtimonij? Quid multa? quum primum

ſic

ſic ſubtilis, ſic tenuis urina exit, & cum quidem aliquantulum in matula commorata fuerit, omnino ut ſæpe quidem comperitur, craſſeſcit, id uult, id ſignificat, quod coquere inceperit natura quodam munere commoditatis, & quodam bono opere perfungens. Quantopere & humores commiſcuerit & moleſtam eorum uentoſitatem diſſoluerit, quoſ ſubtiliores ſecundum partem reddiderit propter quãdam celeritatem, propterq́ leuitatem motus, quia ipſa eorum motũ format. Nam ubi primum ſubtilis urina egreditur, forasq́ proijcitur, & ſubtilis permanet, ſic ut undiq́ morbum crudũ oſtendat, Quòd ſi bona ſcilicet, & ſalubria ſigna comitantur, omnem finem morbi cum quodam apoſtemate ſub hypocondrijs & recte monſtrat, & quidi iuſte. Quòd ſi hæc eadem urina præſt fuerit in acuta febre, & incenſa, non ne periculoſiſſimum ibidem ſignum eſt, uel mors propinqua quia febrem c
leſier

lefieri, atq; accendi, ac non modo aſcen dere in partem corporis ſuperiorem, ue rumetiam in totum caput denũciat, Eſt enim ea urina exiſtens craſſa, & permanens craſſa, quæ maximam inter materiam morbi, & inter naturam conturbationem, diſcordiam, pugnam deſignat, Veruntamen proſtrata undiq; à morbo natura iacet. Quid ergo totos perturbauit, & commiſcuit humores, atq; quandam digeſtionem aliquando ſubtiliorẽ oſtendit, quam nondum compleuit, Quocirca ſi hæc ipſa urina initio ægritudinis quamplurimum apparuerit, propinquam imbecilli hominis perditiõem arguit. Sed tamen ſi hæc eiuſmodi urina tanquam globoſa eſt, quum omnibus modis præteritum, præſentem, & futurũ dolorem capitis facillime arguit. Quid quòd etiam ea craſſa urina exiſtit, quæ dehinc clara in matula apparet, & id denunciat, quod natura omnem concoctionem fæcum compleuit, & effecit, &

ſubtiliorus.

ſic ſubtilis, ſic tenuis urina exit, & cum quidem aliquantulum in matula commorata fuerit, omnino ut ſæpe quidem comperitur, craſſeſcit, id uult, id ſignificat, quod coquere inceperit natura quodam munere commoditatis, & quodam bono opere perfungens. Quantopere & humores commiſcuerit & moleſtam eorum uentoſitatem diſſoluerit, quos ſubtiliores ſecundum partem reddiderit propter quãdam celeritatem, propter q̃ leuitatem motus, quia ipſa eorum motũ format. Nam ubi primum ſubtilis urina egreditur, forasq; proijcitur, & ſubtilis permanet, ſic ut undiq; morbum crudi oſtendat, Quòd ſi bona ſcilicet, & ſalubria ſigna comitantur, omnem finem morbi cum quodam apoſtemate ſub hipocondrijs & recte monſtrat, & quidē iuſte. Quòd ſi hæc eadem urina præſtiti fuerit in acuta febre, & incenſa, non ne periculoſiſſimum ibidem ſignum eſt, uel mors propinqua quia; febrem c

leſiem

lefieri, atq; accendi, ac non modo aſcendere in partem corporis ſuperiorem, uerumetiam in totum caput denũciat, Eſt enim ea urina exiſtens craſſa, & permanens craſſa, quæ maximam inter materiam morbi, & inter naturam conturbationem, diſcordiam, pugnam deſignat, Veruntamen proſtrata undiq; à morbo natura iacet. Quid ergo totos perturbauit, & commiſcuit humores, atq; quandam digeſtionem aliquando ſubtiliorē oſtendit, quam nondum compleuit, Quocirca ſi hæc ipſa urina initio ægritudinis quamplurimum apparuerit, propinquam imbecilli hominis perditiōem arguit. Sed tamen ſi hæc eiuſmodi urina tanquam globoſa eſt, quum omnibus modis præteritum, præſentem, & futurū dolorem capitis facillime arguit. Quid quòd etiam ea craſſa urina exiſtit, quæ dehinc clara in matula apparet, & id denunciat, quod natura omnem concoctionem fæcum compleuit, & effecit, &

ſubtilior-

ſubtiliorem eam reddidit, quæ nihil tamen remiſſum habet. Quare ſi hæc ita ſint, ſic oporteat ut illa diuidatur, tum deniq; unaquæq; pars ſuum in locum ſecundum naturam ponatur, ex quo fit, ut hæc laudabilior etiam urina ſit, quàm ea, quæ craſſa quidem exire uidetur, & craſſa continuo manet. Sic urina hæc probabilior etiam dicitur, quàm ea quæ prorſus ſubtilis apparebit, ac poſtea craſſeſcit maiorem in modum. Si autem hæc eadẽ admodum ſubtilis urina mingitur, & poſtea craſſeſcit, multo ſecurior, multoq; ſanior eſt, quàm ea, quæ ita ſubtilis apparet, ut ſumma ſubtilitate, atq; aſſidua claritate nimirum perſeueret. Haud ſanè quicquam aliud ſignificat, quàm quòd nondum illos coquere humores natura inchoauerit, qui ſatis ſuperq; cauſam & materiam morborum uehementer alunt. His autem ſupra demonſtratis doctrinis, in quibus & proprietatem urinæ, & uirtutem docuimus, ad co

ad colores accedamus declarandos. Primus ille color qui in præſtantia ueritatis conſiſtit, maximè manifeſtam occupat albedinem, Iſtam autē & ut puræ aquæ ſimilitudinem, & comparationem habere probatur, in qua ipſum apparere plurimum uidemus. Lacteus color eſt, qui apertiſſime par ac æqualis aut ſerico aut loturę fermenti apparet, in quo quidem falli difficile eſt. Glaucus eſt, qui ut cornu gignere album, & lucidum dicitur. Is autem, quem forſan illepide Charapum ſchola medicorum uocat, iſtam uniuerſam habet ſuam cum lana Cameli communitatem, atque ſocietatem. Omnes enim hi colores trahuntur, & ducuntur ad malam & cognitionis & teſtimonij concoctionem, in quibus dominari frigidam materiam iudicamus. At quidem pallidus ſit, ut aqua, in qua quidem carnes quaſi ſemicoctæ ſunt. Quo quidem ſubpallidus colore aliquantulum albior habitus eſt, & nomi-

 natus.

natus. Omnis est enim color citrinus sicut pomum citrinum, quo profecto subcitrinus aliquantulum albior palam dicitur. Eiusmodi colores abũdans principium digestionis declarãt. Rursus perfectus, atq; absolutus color est, quẽ doctissimi homines Rutilum appellant, quo subruffus aliquantulum albior dicitur. Isti uero duo colores concoctionem perfectam significant. Quicquid uero rubeus procreat, id similitudinem croci habet, qui in oriente nascitur. Cognoscitur enim subrubeus, ut planè ortulanus crocus. Ostenditur ad hunc fermè modum rubicundus, ut flamma ignis, quo profecto subrubicundus albior aliquantulum est. Isti quidem colores non modo omne incendium caloris digerentis, uerumetiam maiorem caloris temperati acuitatem commonstrant. Sed ab his coloribus, qui sufficiunt ad cognoscendas urinas, quemadmodum documenta ponerentur, satis eruditissimis

mis uiris & constat, & liquet. Eorum autem ipsorum, quę multa sunt, potest contingere altercatio, & dissensio de uarijs urinę coloribus, qui ab humoribus sunt oborti. Nam cum omnis humor aut simplex, aut compositus sit, Sic potissimum aut à simplici, aut à composito quisque tanquam à primo quidem generationis fonte nascitur. Nam cum quatuor colores manant ab humoribus quatuor, quorum unus sit sanguinis, alter choleræ, tertius phlegmatis, quartus melancholiæ, quorum unusquisque in propria uirtute unum tantummodo colorem formet, et efficiat, necesse est. Quid igitur magis à sanguine constat esse rubeum eum colorem, qui ex proprietate, quâm eum, qui ex accidente ducatur? Ille summo argumento choleræ color citrinus probari potest, cui quidem si contigerit ea tinctura urinæ, citrinus om̃ium iudicum affluentibus testimonijs confirmetur. Tanta uis est melancholiæ, ut colorem glaucũ

 sibi

ſibi uendicet. Phlegmatis uero color eſſe albus maxime proprius uidetur. Commiſceri autem ita poſſunt humores, ut et fieri quorundam ampla, & recta humorum commixtio poſſit. Quorum autem eſt nulla uarietatis occaſio, nulla commixtio mutabilitatis, tametſi commixtionem ſanguinis, & phlegmatis, & melancholiæ, & choleræ poſſe fieri cum ſummo ſtudio medici conſiderent, & contemplentur. Phlegmatis autem, & choleræ non poſſe, denique porro admiſcētur. Quando uero locis in uicinis definita, & conſtituta ſunt, ſicut multitudo, cruditasque phlegmatis in ore ſtomachi fixa quodam modo, & cōgregata, Nonnunquam uero cholera in fundo eius, itemque, & ſanguinis, & melancholiæ commixtio conglutinata communitate, coniunctioneque mutua uiciſſitudo poteſt fieri, & poteſtas. Ita fit, ut præſertim in melāncholia foueat affinitatis principatū cōſociatio phlegmatis, atque communitas.

Hoc

Hoc uerum est, quod dicitur à quibusdam, quòd commixtio illa quidem propter uicinitatis locum æqualis, uel inæqualis fieri posse creditur. Si hæc cōmixtio quoque sit æqualis non alijs repugnantibus, quocirca talis color & probatur, & iudicatur Charapus, quem ita medici appellant. Si uero ob certam causam inæqualis apparuerit, & non abundantia quædam phlegmatis deerit, is color lacteus in primis dicitur. Quòd si omnino melancholia aliquātulum phlegma superauerit, color publice certè glaucus spectabitur. Si autem ea commixtio est, quæ apparet ex cholera, & phlegmate, id est, ex societate duorum humorum, his modis aut æqualis aut inæqualis nempe ita attingat cognitionem dominatus, ut publica, & locuples cognitio uideatur. Si qua quidem commixtio æqualis uisa fuerit, profecto ipse color citrinus in rebus humanis sat temperato uigore apparebit. Nam ubi primum

 est

est inæqualitatis cholera, & potestas phlegmatis redundat, ergo pallidus, & subpallidus color putabitur. Si admirandam, aut præstantem uictoriam obtinuerit, satis color recte subcitrinus appellabitur. Si quid autem rogetur, uel potius obijciatur, quando abundantia choleræ est, an color fieri incensior potest, & debet, quàm commixtio, quum præsertim uiget omni quidem temperatura & floret, Omnino enim illud discrimen, quod ex acrimonia uiuacis, & sublimis ingenij disputatur, luce ueritatis interpretãdum est, non fucosa sophistarum obscuritate, atq; simul ita respondendũ est, quòd color ille citrinus prorsus ex nulla æquali commixtione possit in probandis sophismatibus, & in studio exercendo inueniri, sed præsertim ex lucida tẽperantiæ ratiõe nasci. Temperamentũ aũt id quod exquirimus, totum positum est siue in ardore choleræ, siue in caliditate, & siccitate, quam quidem abundãs

multis

multis liquoribus phlegma ſane tempe-rat. Color enim citrinus indicium habet omnibus cæteris coloribus perfectius, ac maius temperamentum. Et potiſſimum non ratione incenſionis, & remiſſionis aliqua, ſed poteſtate, & uigore temperantiæ ſcilicet in fortitudine ampliſſimorum teſtimoniorum confirmatus color citrinus eſt. Si commixtio uero parata unquam in ſanguine, & cholera publica fiat, quæ ſaltem aut æqualis, aut inæqualis apparet. Si igitur æqualis aut tum comparatione, aut tum ſimilitudine putatur, ilico ruffus color efficitur. Si dicitur inæqualis, & cholera effluit ſtabili & firma copia, iure patebit color quidem ſubruffus. Si autem eſt abundãtia ſanguinis, omnino enim, & palam color rubeus cõſpicietur. Item illud forſan quærendum ſit, num commixtio aut aduſtæ choleræ, aut aduſti ſanguinis fieri poteſt? quæ maxime æqualis, aut inæqualis dicitur. Si æqualis eſt, ex qua

 color

la in meis libris posita, quæ notissima sunt lectori, scilicet inops, Kyanos, roseus, spasmus, mucilaginosus, citrinitas, liuiditas, pulsus caprisans, martellinus, formicās, cauda tornatiua, & si qua sunt de genere eodem. Nam ea quidem, quæ latina non sunt, quum propter doctrinam, tum propter usum medicorum aliquoties inserui, qui communiter in assidua, & perpetua eorum consuetudine esse solet.

Valentini

VALENTINI POLIDAMI AD IOANNEM EPISCOPVM Lundensem, ac Cæsareum Oratorem per Germaniam, Oratio in laudem artis Medicæ.



TSI ANTEA ORnatissime Præsul literatissimi homines scribere de tantis medicinæ opibus, tantaq; dignitate omni diligentia, atque doctrina conati sunt, Tamen planè mihi tanta est auiditas huiusce orationis, ut potissimum eã in aspectum, lucemq; proferre nullum obstaculum me, & nulla uis terreat. Sic ornamentis Rhetoricis, & solidis neruis, omnibusq; pigmentis natiuis prætermissis unum hoc genus dicendi exerceatur.

ceatur. Ornatiſſimis enim uerborum, ac ſententiarum coloribus, ac pulcherrimis ſplendoribus tantam artem ſatis neque laudare neque explicare poſſum, quæ ſuffragium omni frugalitate dignum affert, quæ præſtantem, amplam, incredibilem dotem habet, quæ in humanis morbis, in humano dolore, grauiſſimisque caſibus ſingularem cõſolationem, ac penè diuinam ægris cumulate ſuppeditat, ad unam perfugium patet, ad unã omnis dolor aſpirat, & cõcurrit. Quam obrem medicinam ſalutarem, ac neceſſariam, & omnibus experimẽtis ornatam, ueramq́ꝫ ægrorum conſolationem magnopere mortalibus literati uiri, ac ſtudijs, doctrinisq́ꝫ dediti commendant, & ſuadent, quæ omnes corporis morbos comprimit, omnia, quæ prauiſſima, & difficilima ad curandum eſſent, facilime ſanat, præſertim quum iuuenibus, tum ſenibus ſummũ præſidium adminiſtrat, iacentes ſubleuat in febribus, uociferan-

ctes iuuat in podagris, omnes in cruciatibus sordidatos, & mœstos consolatur, qui in quemcunq; morbum inciderunt, tutissimum ad medicinam confugium habere semper possunt, eius patrocinia, emolumenta, subsidia tantos dolores expellunt, exterminant, eijciunt, quantos unusquisq; in suis morbis implorat, & exposcit sanari. Quamobrem quasi coelestis potestas medicina calamitosissimis in casibus copiosissimas, & sanctissimas suppetias ferre & potest, & solet. Quid dicam plura? quum tantum ægri in hac eadem patrona esse una roboris, & uirtutis putant, ut ea, quæ ipsa administrauerat, salubria essent, cuius profecto ego amplissimam gloriam, cuius nobilissimã laudem, cuius opulentissimam maiestatem, bonitatem, opem quum inopia linguæ, tum inuitissima quidem Minerua neq; satis illustrare, neq; celebrare possum eleganter, excellenter, copiose. Hãc adiutricẽ quisq; suis doloribus, suis afflictionibus,

ctionibus, suis perturbationibus multũ laudauit, multum sensit. Quod quanq̃ doctissimi, atq; eloquentissimi uiri summum medicinæ, & diuinum quidem munus, & mortalibus cœlitus missum tanto studio commendarunt, ut maiore non potuissent, nihilq́; ab eis prætermissum est, quod aut pro medica arte commemorandum fuit, aut pro eius reuerentia disputandum, tamen aggrediar ad dicendum, ne nota mea egestas ingenij, ne insignis mediocritas, ne mira hebetudo, frequens stupor, debilitasq́; linguæ potissimum ei defuisse uideatur, cui corporum dolor gratulatur, cui gaudet, quam amat, quam deposcit, in qua tanta auxilij, & uirtutis magnitudo reperitur, quanta semper ad sanandum præsentissima, ad uiuendum saluberrima mortalibus ita uisa est, ut maximum & iucundissimum adolescentibus hoc studium medicinæ esse debeat, quos ego sic hortor, ut semper in ea ipsa arte uigilent, & semper

ſemper incumbant ad præclara huius ſcientiæ ſtudia, cuius & in maximis uerſari delicijs, ac penê diuinis delectamentis quàm accuratiſſime uelim ſtudeant, quũ eſſet commodiſſimus uerę ſanitatis fructus, quum eſſet ſumma omnis promiſcui generis humani fides, & ſpes, quũ totum eſſet, & proprium confugium omnis populi terrarum. Porro igitur medicinæ laudes amplificari, celebrari, attolli ſolent, illę quidem non ſolum latinis, & græcis ſermonibus, uerumetiam penê omnium gentium literis, atq; linguis, neq; ulla unquam ætas, quod eſt maximum, de gloria artis medicę per totum orbem terrarum conticeſcet, neq; ars eſt aut uberius, aut magis ulla laudanda, quàm ea, quæ potentia, proprietate, ſublimitate morbos inſanabiles, dolores intolerabiles, deniq; quàm praua, & q̃ uirulenta ulcera non poteſt ſanare ſolum, ſed etiam auferre eorum importunam uiolentiam. Quapropter eam lon-

gissimis & luculentissimis orationibus autores cæteri & illustrarunt & celebrarunt. Modo dicam ego pauca de ornamentis medicinæ, de potestate, de excellentia, de frugalitate, de efficacissimis auxilijs, de maxima consolatione contra grauissimas ægritudines, in qua securissimũ quidem sanitatis est perfugium, & amplissima salus ægri patet. Quid enim gratius imbecillis auxilio eius? quid magis laudatum, magis optatum inueniri aut excogitari potest, quo contra uel atrocissimos morbos, uel potius cruciatus mortales ita cupidissime utuntur, ut prorsus nulla plus suffragatione delectantur. Idcirco profecto ea quo ingenio, quo ornatu illustrari aut eget, aut postulat, iam id ingenio, & facundia cõsequi uix potero, ut in hac præcellentissima atque utilissima doctrina multum à me, quod ad perpetuam salubritatem, multum, quod ad periucundam consolationem uitæ, multum quod ad miram

cellsitudinẽ

celſitudinem medicinæ pertineat, enar-
ratum eſſe uideatur. In acerbiſſimis enim
cruciatibus, atq; doloribus iacentes ex-
pultrix morborum una medicina con-
ſolatur, ad quam prorſus omnes morta
les omnium generum, ętatum, ordinum
mediusfidius pro ſanctiſſimo auxilio cõ
fugiunt. Iam igitur aggrediar ad illas
ſempiternas, & digniſſimas laudes, quæ
ſemper optimo cuiq; maxime patuerũt,
Quum omnes morbos, omnes dolores
cruciatusq; non ſolum palam fortiterq;,
ſed etiam conſtanter medicina aut uin-
cit, aut mitigat. Nihil ne ægros ſalubre
pharmacorum præſidium, nihil radicũ
robur, nihil florum uirtus, nihil herbarũ
aquæ, nihil hæc pulcherrima lapidum
proprietas, nihil horum experimenta, an
tidotaq; ſoſpitant, atq; iuuant? Patere me
dicinæ auxilia quis non uidet? quid eius
conſolatione ſalubrius? quid maius ex-
cogitari poteſt? quid adminiculi, quid
miraculi ipſa medicina præſtiterit? quid

paratiſſima, & præſentiſſima uirtute eſſe cerit? ubi defuerit? quos non ſanauerit? quid ſpei, quid fidei præbuerit? quem ægrum deſperare fecerit? O diuinum, ô cœleſte munus, quod primũ altiſſimus, & glorioſiſſimus Deus pro incredibili beneficio, deinde pro immenſa pietate, poſtremo pro ſumma ſapientia ægrotis procreatum è terra aduerſus tot & tantos totius corporis morbos inſtituit. Quàm igitur diuina medicina atrocem, ac fœdam ægritudinem non ſolũ à ſenſibus, ſed etiam à membris, & uiſceribus excidit, eradicat, & fugat. Vna autem hora quot, & quantos cruciatus ſedat? imbecillos rectiſſime ſoſpitat, imô uero etiam in priſtinum ſtatum reducit, fit publici morbi uictrix, & liberat, & excitat à morte homines. Eius ne diuina uirtus plus commodi ſit habitura, quàm periculi? ſiquidem illa ipſa, paratiſſimũ præſidium ac beneficium mortalibus tribuit. Diligentiſſime ad recuperãdam

ſanitatem

ſanitatem medicina uti iuſſu ſapientis medici omnes imbecillos decet, omne ad medicinam collocare aſylum iſtud debemus, quod nos ab uniuerſis ægris iampridem collaudari & nouimus, & audiuimus. Tot uero ſenes, tot iuuenes, qui ſalubritatem uitæ mediocriter labefactantem, & habent, & ſentiunt, prorſus unam ſoſpitatricem noctes ac dies implorant propter ſummum beneficium, ac parem magnitudinem auxilij, ſummo deſiderio unam adiutricem iterum atque iterum depoſcunt, unam dolorum expultricem inuocant, quæ plurimis eſt patrona, & conſolatio. Nam illa nimis uulgaria, protrita, antiqua prætereo, quod Aeſculapius uetuſtiſſimus, & clariſſimus autor, omniſque doctrinæ amantiſſimus artem medicam etiam atque etiam coluerat, qui propter eam in ſublime, & ſacroſanctum conciliũ, atque glorioſum numerum Deorum immortalium fuit incredibili triumpho, ſumma lætitia uo-

catus atq; receptus. Nam maximũ ægris fructum medici afferunt, omnem ſpem ſalutis, contra uiolentiam & ſæuitiam et magnitudinem cruciatus corroborant, ac ſtabiliunt. Nõ profecto ſibi ipſis magis, quàm cum omnibus hominibus, tũ maxime imbecillis ſapienter ac diuinitus conſulunt, Erga quos tantam ęgri beneuolentiam, tãtam honoris aſſiduitatem, tam plenum humanitatis officium, tam plenum integritatis, & clementiæ ſtudiũ exhibere debent, ut hominem neminem pluris faciant. Eſt enim ſalus in corporibus humanis medicina, cuius ut ſaluberrima ſubſidia, atq; ſaniſſima antidota tantopere ęgri implorent, quorum mirifica proprietas ornata uirtutibus eſt, ijsq; auxilijs, quibus ægri libentiſſime utuntur ad omnem ſpem ſanitatis. Qua ſanctimonia, quo ſtudio præſidium medicinę cæphalea rogat, cuius moleſtiam medicina tanquam ſalutis conſolatrix, ac parẽs propulſat, hora nulla intercedit, ſalutem

procurat,

procurat, caput in priſtinum ſtatum reducit. Quid lethargus aſſiduis, & immẽſis uexationibus oppreſſus liberationẽ à medicina petit, totam deniq; ſpem bonæ ualetudinis, quæ omnibus ægris eſt chariſſima, quanto ſtudio in illam ipſam conſolatricem collocat? Quid comitialis inquit morbus hæc tollit medicina ſæuum omnis corporis dolorem, gratiſſima erga genus humanum officia, atq; adiumenta confert, quæ ſanctiſſima ſit uitæ leuatio, ſit ſpes, ſit fides, ſit chara & præcipua ſalus, at conſtat patrocinium, et patet aſylum quoquo modo ſtabilitũ ad adipiſcendam ſanitatem. At quàm miſera, quàm ſupplex apoplexia nihil aliud, niſi calamitoſum, acerbum'que caſum aſſidue curare cupit, quod genus morbi tanta anxietate, perturbatione, deſperatione oneratum ad medicinam confugit non minore ſtudio, quàm ſi ad ſalutem certam confugeret. Nam maxima apoplexiæ incommoda medicina

euellit, paratiſſimis uiribus perculſa, atq́ proſtrata membra recreat, & reficit, robur totius corporis priſtinum reuocat, furioſum ictum comprimit, ſubitaneam mortem prohibet, omnia, quæ uitã crudelitate, uiolentia, impetu expellebãt, poteſtate ac uirtute ſuperat, omnia in eadẽ adiutrice præſtantiſſima auxilia, atq́ probatiſſima antidota quiuis imbecillus q̃ perbelle poſiturus ſtudium ſuum atque confugium non ad deſperãdam, ſed ad ſtabiliendam ſanitatem nimirum quotidie reuiuiſcit. At quid eſt certius, quàm quòd paralyſis ſummam opem medicinæ non modo precatur, uerumetiam reliquis auxilijs om̃ibus anteponit, numquàm miſerabiliter iacentem ſoſpitat ſublimis pharmacorum uigor? perire non ſinit, fulcit, ſubleuat, corroborat neruos, reparat greſſum, lapſumq́ corpus quotidie inſtaurat, nec clauda membra corruere patitur, nec paralyſim in priſtinum corporis ſtatum reſtituere

aſpernatur,

aſpernatur, ac refutat: Multiplex autem, & intolerabilis oculorum dolor non ſolum nomine, uerum etiam tormento ipſo, atq; luctu medicinæ auxilium obſecrat, atq; obteſtatur, qui tot, & tantis pungerentur cruciatibus, uel quaſi foderentur. Itaq; quoniam omnes probatiſſimorum pharmacorum, & omnes innumerabilium herbarum optatiſſimas ſuppetias ad leuãdam ægritudinem, ad ſupprimendum dolorem, ad depellendam afflictionem ita quærunt, ut uehementiore ſtudio nihil plus conati ſunt, neque ullum unquam uiſus humani lumen poſſunt citius cuiuſquam rei uirtutibus recuperare, quàm medicis non dicam artibus, ſed auxilijs, quæ ita permagna eſſe putantur, ut ſatis ea uix cuiuſquam aut expeditiſſima lingua, aut quàm uberrimum flumen ingenij, non modo uenerari, uerum etiam laudare poſſit. Hoc autem ſuperuacanea uigilia, quod iam pridem neceſſarium eſſe oportuit,

nequaquam aufugit, ut hoc quidem cō-
silium multo uehementius, multoq́ dili
gentius inquireret, quod homines uitæ
necessarium existimant, cū eiusmodi qui
dem ægritudo protestans omnes crucia
tus, aut tum clamitans, aut tum uociferās
non modo in nocturnis temporibus,
sed etiam in diurnis, sic inquit, Vbi nūc
medicina est, ad quam ęgri confugiunt?
ubi corporis humani auxiliatrix, ubi do
lorum sospitatrix, ubi infirmitatum con
fugium, ubi consolatio mea, quæ luctū,
& squalorem tollit, lugere non sinit,
propulsat anxietatē, magnitudinē mœ-
roris aufert, fugat & amouet lachrymas,
non mitigando solum, sed etiam quàm
fœliciter opitulando? Quamdiu autem
contra naturam quisquā insomnis erit,
tamdiu qua sapientia, quo ingenio medi
cari magnopere cupit, Profecto quàm
mirifica liberatione, quàm grata quiete
dolor iste consolabitur, & consolabitur
ita, ut quum fortissima corporis tranquil
litate,

litate, tum placidiſſimo uultu, tum ſo-
latio fruatur, multis pharmacorum
& firmis præſidijs ſubleuatus, ne ultra
quidem homo conturbari à triſtibus et
miſeris excubijs poſſit. Super hoc etiam
excelſa, atq; diuina pharmacorum archa
na occupatiſſimos ægros ſuperfluis uigi
lijs, ſicut ſemper potuerunt, modo rele-
uant, atq; iuuant. Etenim quid eſt, ſacra-
tiſſime Præſul, quod iam non amplius,
non copioſius diſputem, quum furibun
da melancholia, triſtibus officijs, & tur-
bulentis cogitationibus ſepta, ad medici
nam tanquam ad tutiſſimũ ſanitatis por-
tum ſemper confugit, quando ex ea cun
cta fœlicia adſunt, quando cũcta deniq;
proueniunt ſana, quæ chariſſimã uitam,
totumq; corpus humanũ, ſua opera, ſua
poteſtate, ſua deniq; uirtute à faucibus
necis eripit. Ea igitur patrona quibus
laudibus extollitur, quibus ſtudijs ce-
lebratur, qua reuerentia colitur, uniuer-
ſa mehercle corpora teſtantur. Sunt enim
 luce

luce clariora, medica mortalibus suffragia omnia. Atqui catarrhus multis officit, uariat corpus, ægritudinem aggregat, quàm potest, parat incommodum, cumulat, generat, qui est in suo cruciatu molestissimus, qui hominem angit plurimum, qui propter & noxiam & prauã humiditatem, nocturnam quandam teterrimam tussim uehementer excitat, quam tabem ipsa medicina omniũ ægritudinum optima consolatrix, magnificè uincit, publice dissipat, hominẽ sanum parit, cum pro sua præstanti uirtute pituitam ex toto fundamento cerebri in apertum recessum cogeret, exploderet, forasq; eijceret. Quod non deinde mortiferum incommodum, ut conatur, facit, Quoniam omnem illi uirulentiam, omnem atrocitatem, de potestate prorsus medicina extorquet, quod eius adminiculo salubre corpus, quod nouum uigorem redire uidemus. Nónne quàm mirifico, quàm inuicto illius ro-
bore

bore conuictum catarrhum, & exterminatum esse constat? At coactus abiit, excessit, erupit, & se depulsum, atque prostratum esse non negat, & tot persæpe guttas, aut detrimenta tum labi, tum etiā cadere ad pectus, ad fauces, ad guttur nequaquam admittit, ac desinit obnoxios & uarios morbos coaceruare, unumquodque membrum offendere, mortem parare. Omnino hæc quidem & praua & mala imbecillus uidens fracta triumphat & exultat, & lætatur, quòd medicina tantā tabem propulsauerit, forasque proiecerit. Stupor aūt ac tremor immensam perniciem, prorsusque sæuam patiuntur, qui in primis summa freti spe, non tam sui doloris propulsandi, quàm mortis comprimendæ causa perfugium medicinæ quærunt. Sic enim illos morbos medicina compescit & conficit, qui ut corporibus parcant, ne spolient sanitatem, ne effundant uirus, ne furore uitam trucident, ne moliantur mortificationem spiritus,

nem ſpiritus, atq; extinctionem, ne uim manibus, ruinam pedibus, detrimentum membris inferant, ne quem interimant, ne conficiant uires, uiolentia careant. Postremo, cum paruerint uirtutibus medicinæ, dederint aliquid libertatis & ad tempus quietis, & ad grauiſſima impedimenta corporis, tandem ſubijciãt ſe ſua ſponte ad poteſtatem medicinæ, robur, uigorem, quæ quidem nihil agit, nihil molitur, nihil efficit, quod tremor & ſtupor non modo approbet, ſed etiam laudet, planeq; petat. Hæc quidem paratiſſima quibuscunq; morbis adiutrix, corpus & uitam defendit magnitudine beneficiorum, quæ potiſſimum ægros una conſolatio ſuſtentat, quæ corporibus nullum à proprietate doloris, nullum perturbationis, nullum afflictionis obſtaculum & ſupplicium admittit, quæ & contra corruptos, & uicioſos humores adeo liquido agit. Nunquid morbũ ſuperare audet? quid agit? æger conualeſcet,

lescet, si ars medica applicatur. Ac morphea & lepra, qui grauissimi morbi & fœdissimi sunt, quoddam in medicina suffragium esse sentiunt, quod morbis semper gratissimum fuit. O diuinũ munus, quanta sanitatis spes medicina est, quantam fidem habet, in qua consolatione paratur. Illud, illud est magnum cõfugium, ad nostras ægritudines, ornatissime Præsul, in toto orbe terrarum, quod non modo amplam, & gratam opem ad prorogandam hominum salutem, sed etiam ad propellendum brutorum interitum ferre uidetur, quem dolorem fugit? ubi non quietem parat? à quo uirulento, ac terribili exitio morbi non imbecillos liberat? Defendit enim, defendit sanitatem, & illud cõseruat corpus etiam saluberrimum in uita. Difficilimus autem asthmatis anhelitus incredibilem opem uitæ explorans, audiens, uidens, tutelam à medicina petit, quam in promptu capere lubet, quam hercle ma

xima uoce anhelat, Quoniam omnii
asthmati medicina sæpe profuit sua ope,
dilatauit partes anhelitus, fecit tutum ac
liberum quodq; suspiriū exire, quo pla-
ceret, quam materiam agitauit, eam de
pectore educeret, eam foras proijceret,
tot enim impedimenta pulmonis abster
git, & purgat, non solū dat incredibilem
noxijs, uerumetiam uiscosis humoribus
repulsam, tussim potenter & asthma re
soluit profundis de locis pectoris
quod non sentiret infirmus diutissime
At quidem hanc pulmonis morbus so
spitatricem suis maximis precibus colit
& obseruat, quem peripleumaticon ipsi
græci uocant. Ideo profecto aut mouē
bilem, aut pus trahens, interdum grauis
interdum modica tussis hoc periculum
pulmonis subsequitur, in quo mirabili
præcordiorum anxietas, inaudita pecto
ris ac detestabilis difficultas spiritus, ma
gnæ febres, continua uigilia, ciborum f
stidium incredibile haberi solet. Ex qu
bus signis

bus ſignis pulmo hoc magnum incom modum patitur, laborat uicio, uidet nau fragium, periclitatur, quid morbus ſæuiſſimus facit? corroboratus lædit, diuturnus nocet, occidit inueteratus. Sed ſummopere medicinam ſero parare cauendum eſt, ideo ne celerrimam leuationem pulmo ſuæ ſanitatis non nugis ſagarum, ſed medicinæ uirtutibus quærit? at rogat & implorat eius opem, ut cuius conſtantem, placabilem, & perpetuam tranquillitatem, conſolatiõem, & quietem nanciſceretur, cuius potentiſſimis, & ſanctiſſimis auxilijs aſſiduam moleſtiam extirparet, & auelleret. Dicitur autem morbus iecoris cum innumerabilibus periculis modo acutus, modo longus, modo dolor immenſus in præcordijs, in quo morbo nonnunquam bilis euomitur, nonnunquam ſingultus prope ſtrangulat, iam dolor finitur, iam intẽditur, iam uergit ad dextrum humerum, rigor interdum magnus in dextra

parte,

parte,magnum impedimentum, maximus tumor, præterea dura præcordia, post deniq; cibum maxima difficultas & grauedo apparet, Horum angorum expultrix præsentissima medicina est, quæ quidem cum uentre soluẽdo, tum catapotijs deuorandis,tum cataplasmatibus intrinsecus imponendis, tum malagmatibus adijciendis, tum sorbitionibus assumendis,tum rebus urinam mouentibus,tum Thymo, Satureia, hyssopo,nepeta,amylo,Sisamo,lauris baccæ, pini flore,herba sanguinali,menta, & illis quæ sunt his similia, unicum epar perpetuum fontem sanguinis, tam corroborare,quâm sanare conatur. Grauissimus autem morbus lienis siquando intumescit,simulatq; duritiem totius lateris sinistri ingentem ostendit, difficiles quasdam afflictiones, & ancipites parit, quas nempe promptis ac ueris auxilijs ad perpetuam fœlicitatem illa ipsa medicina reducit,plurimis salutaribus unctio

nibus

nſbus lenit, officioſis frictionibus diſſol uit diligenter. Quæ cum ita ſint, medicina agit id, quod cœpit. Cor uero in triſtitia exhilarat, defectionem eius tollit, fortitudinem auget, pro adipiſcenda ſanitate ſemper optimis aromaticis rebus, ac pleniſſimis uirtutis quum egregia, tum laudabili ope coniuncta epithimata applicat, aufert præſertim omnem cordis debilitatem, ſi minus, quàm plurimum propulſat tremorem, magno cor metu liberat, ſi dum modo inter uitalem ſpiritum, atq; uirtutem nihil aduerſum moliatur, perniciosum ſæuire morbum iam diutius non admittit, non patitur, non ſinit. Magna diuinis pharmacis habēda eſt gratia, Porro etiam illi maximo deo, & glorioſiſſimo conditori huius medicinæ. Hæc eſt, O conſolatrix imbecillorum omnium, quæ uariam, horribilem, tetram corporis peſtem toties iam propulſaret, nam conſeruata, ac recuperata per artem medicam ſumma ſalus eſt,

quis negat? quòd hæc mediusfidius nobilissima & probatissima ars pleuriticum morbum istum acutissimum pessundaret, & effrenatum conculcaret, & corroboratum atrocitate, & magno periculo inuolutum contunderet, ergo cubántes in uigilijs huius morbi, septos angustijs, confertissimos sputis, anhelatione soni, difficultate spirandi implicatos, onere apostematis oppressos, tristibus præcordijs aut pectore laborantes liberat mirifice, atque omnem opem sanitatis supplicãtibus, magnam postulantibus, multam deprecantibus, quocunque pacto fert. Sæuissimus autem dolor lateris, artem medicam parentem incolumitatis appellat & implorat. Huic dolori, O consolatrix infirmitatis, & nocturnam & diurnam tranquillitatem, atque ocium donat & suppeditat, non ea latera solum, quæ dolor læserat, restituta esse conatur, sed etiam innumerabilia quædam loca, ex impetu crudelitatis ac furore oppressa, cum laxi

tate alui,

tate alui, cum decoctionibus, cum emplastris, cum fomentis, & plurimis antidotis, & efficacissimis sanat. Angina morbus est maximi metus, denique omnium periculorum procella, & tempestas, quæ cuncta cedunt medicinæ. Nam profecto à pharmacis diuelli possunt, & pereunt sanè, Quoniam sunt ita efficacia pharmaca, ut fauces gutturis angina suffocare non possit, uigilantissimo enim studio, & artificio medicinæ ars circa fauces subque mento cucurbitas admouet, simul & acutissimum & pestilentissimum morbum gargarizationibus, & fomentis, & probatissimis antidotis radicitus dissipat. Hæc sanè mirabilia sunt. O sanctissimum & maximum donum dei immortalis, quod omnem prauitatem pituitæ, lienis, iecoris curat, quod cum rubeam, tum nigram bilem non mediocris deformitatis, incommoditatem singultus, cruditatem humorum, denique impedimentum totum in diaphragma-

te, & angustiam explodit. Quare quoni am id, quod non laudatissimum modo emolumentum uerum etiam corporum languidorum & ægrotantium propriū asylū est, facere id conatur, facit id, quod est ad morbum efficacius, ad humanam incolumitatem utilius. Nam si omnem morbum exstirpare potuerit, residebit in corpore nulla dolorū pernicies. Stomachus uero, si nausea, si uomitu, si fluxibus, ac morsibus perseuerandis, tristis, ab his quidem suis aduersarijs angeretur, medicinam optat, ut exhauriatur ex lacuna eius magna & perniciosa sentina malorum, Quid est quod dubitari debeat? Nam stomachus magnitudinem doloris, oppitulante medicina auferre potest, quē iam diutius ferre non possit, Exire ex stomacho medicina dolorem iubet, & cogit, num stomachus in statū pristinum, quod dubitat nemo, si hominem expertum antea consuluerit, reducitur? Quid enim est, quod confestim ex

stomacho

ſtomacho aut excidi, aut euelli per me-
dicinam nõ poſſit, ad cuius malam com-
plexionem aut prauam, propter optimũ
adiumentum parantur Syropi qui e ue-
ſtigio ſtomachum recreent atque refici-
ant. Nemo dubitat, quin radicum deco-
ctiones multum profuerint, quæ non
tam publici, q̃ immenſi ſuffragij in ſto-
machi dolore duntaxat ſunt inuentæ.
Quod probatiſſimorũ pharmacorum
genus non placet? quod unguentum à
proprietate, quod emplaſtrum à ſalutari
bus auxilijs unquam, quod fomentum
à toto uirtutis uigore abfuit? Cui medici
na dolori, quem toties compreſſiſſet, nõ
aut ad magnitudinem quietis, aut ad diu
turnitatem incredibile, aut iucundum
ſolatium dedit? Quid uero cum prorſus
à tunicis ſtomachi, tam tetros, tã putres
humores amouiſſet, nônne etiam cum
hoc quidem caſu, alias ægritudines cura
uerat, morbum cum potẽtia expulerat,
cruciatus abalienauerat, uirus deleuerat,

postremo tot molestias funditus sustulerat, quas ego prætereo, & facile patior silere, ne longis sententiarum & uerborum ambagibus, aut superuacaneus, aut molestus esse uidear. Prætermitto intemperãtiam canini appetitus, quem sua plerique insatiabili uoracitate sentiunt. Ad illos dolores uenio, qui non ad assiduã mansuetudinem multæ quietis, non ad tranquillitatem, ac solatium, sed ad incredibilem cruciatum, & ad hanc uehementem uexatiõem, quã cernimus, luctusq; declarat, pertinent. Quum igitur in acerbissimis doloribus & his quidem cholicis, homines lamentari, eiulare, frangi, debilitari ualde grauiter ac moleste, solent, quibus quia tum calamitas, tum mœror, tum luctus adest, ac iam lachrymarum infinita uis patescit, O qualis dolor & angor, cum omnia uiscera abdita, & interiora mœrerent, intestina gemerent, undiq; fletus audirentur, quos magnifico apparatu medicina sedare po-

test, intolerabiles cruciatus aufert, nihil consulit, nihil facit, nihil molitur, quod non prudentia, non consilio ægritudini suppeditare ualeat, neq; potissimum aut summum malum opprimere, aut depel lere desistit. Quoties iam per medicinā exterminata est lamentatio ista de intesti nis? Quoties uero ęger caruit malis mor sibus, & liberatus est, ut quidem grauissi mus iste morbus diutius furere nō pos sit, qui quidem medicinalibus potioni bus, & palam uictus & potenter de pressus est. Id medicina continet & ha bet, quod magnopere non secus facit, quàm morborum calamitas postulat. Sic enim iam ęgrotus conualescit, ut ma ximo dolore liberatus esse uideatur, quo debet, ut hæc adsit aduersæ ualetudinis salus, quæ mortalibus debetur. Hic autē morbus, qui dissentericus uocatur, tri stissimis doloribus, & maxima uoce so spitatricem morborum medicinam im plorat, qui intestina cum hac præcipua

& tanta furia, cum tot atrocissimis cruciatibus ac intolerabilibus exulcerat. Sic hoc maximum ægris ante alias ægritudines tormentum fit, & accidit, & naufragium uitæ importat, Quādo si quis sanguinolentus cruor sit, truculentissimo impetu diuturnitatis oppressus, Quid? quod in benefico, ac salutari pharmacorum aduentu, isti morsus doloris, qui ægrotis millies ad necem proni fuerunt, mortiferam crudelitatis uim non sentiunt, tristitiam deponunt, totum fletum relinquunt: Hoc tandem pacto properat sanitas pristini status, ac festinat, inueteratus me hercle fluor astringitur, si promptissimis auxilijs uirtus medicinæ adsit, quæ sic conatur, ut maxima delere & euertere tormina â toto fundamento posset. Vnico enim studio nititur, alui nequaquam relinquendam esse aliquam exulcerationem, Cruor isto pacto per uiscera non manat. Quum hic est tormentorum finis, hæc ipsius morbi extermi-
natio,

natio, hæc una uox sanitatis, in corpore ipso nullus cruciatus est, & in re nihil est perturbationis, in aluo, quæ oppressa esse dicitur, nullum uestigium mœroris, tormenti, fletus, His aluus auxilijs placatur, his delectatur, his corroboratur, quia medicina adiutrix, quia consolatrix de cruciatibus optime meretur, non secus, ac de atrocibus hostibus, ad quam ardẽtissimæ febres, ad quam cæteri morbi, ad quam omnes dolores cõfugiunt. Nemo tam furiosus, nemo tam amens est, qui modo se languoribus septũ esse senserit, qui medicinam prorsus oculis fugiat, auribus respuat, animo contemnat, ipsa deniq; petitione gustus sui perhorrescat, hanc aluus semper in cruciatibus expetiuit, hanc optauit, hanc uenerata est, plura etiam adiumenta sensit, quàm sperasset, Num hoc ipsum leuatum? num liberatum à crucibus genus sit ęgritudinis, quod unum est omnium maximum, ut opinor. Ea magna est fœ-

licitas medicinæ, quis negat? & magnis fulta, & ornata præsidijs ad consolationem hominum sempiternam. Aluum uero lumbrici nonnunquam, qui pessimi sunt omnium carnifices, occupant, ac lædunt, & potissimum de quiete aliud nihil habent, nisi cum suis morsibus pugnare, horum neq; stomachus uexationes silet, neq; ictus negat, neque uim approbat, quæ tot lumbri tormenta sic agunt, & quodam modo mortem minãtur, quod nulla eiusmodi perturbationibus iam uia salutis existit, nisi per medicinam, nulla tranquillitas sine medicina. Nonnunquam nostra uiscera torquent morsus, nonnunquam lumbricorum punctio & uexatio miserabilis ac impia sæuit, quos medicina non solum trucidandos, atque superandos, uerum etiam expellendos, exterminandos, eijciendosq; procurat. Sequitur dolor renũ angustijs uehementissime circumdatus, in quo quicqd urina ostenderit, id profecto multo

cto multo planius multoq; facit apertius cruorem spectare, quod admirabilẽ atrocitatem, ac tormentum calculi designat. Quocirca his doloribus renes moti, his pœnis & languoribus prostrati usque ad extremum, non tam medicæ arti fidentes, quàm pharmacorum uirtuti gratulantes, impetrare à medico consilium non negligunt, non tardant, quibus tantum opitulatur medicina, quantum necessitas postulat, quantumq; sua uirtute potest. Quid? quod calculus ipse arenosus urinam reddere foras uetat. Quid? quod totius exitus mingendi magna difficultas apparere uidetur, in quo quidem uesica immensum dolorem habet, etiam distensiones neruorum ad ultimum periculum sentit, has patitur tormẽtorum furias, has flammas, has faces, quas calculus parit, ex corruptis, ex spissis, ex uarijs, ex prauis humoribus. Dolor autem ille, qui septus furore illo continuo dicitur, plenus tristitiæ ad medicinam re

nam recurrit, ut per eandem medicinam à supplicijs, à turbamentis, atq; tantis exitijs calculi liberaretur, qui non modo se ad fragẽdum paratissimum, sed etiam ad exterminandum quibuscunque suffragijs uoluntarium fore exhibet. At quàm incondite quid nunc argumẽtor, quid plura disputo? Illa enim acerba, & furiosa ægritudo est, quæ cum summa calamitate, tum tristissimis doloribus cõiuncta, aut in podagris, aut in chiragris consueuit esse, in his quod tormentum homo patientissimo animo ferre nõ potest, quam calamitatem habet? quam ferocitatem sustinet? quod sanitatis exiliũ patitur? quam afflictionem sentit? quem eiulatum effundit? quid est aliud, quod quidem cruciatum sedet, quòd hoc sibi munus medicinæ omnis æger, amplissimum, pulcherrimumq; poscat, hoc sibi beneficium quærat, quod tranquillitatẽ habet, quod salutem dat. Nónne tali quidem morbo pleno ploratus, mœroris,

eiulatus,

eiulatus, O medicina cõsolatrix, ô fides, ô spes, præsidium affert, Nónne præbet adminiculi dexteritatem? nónne administrat tranquillitatem? nónne parat præsentissimum suffragium? euertit furiosum dolorem, parit requiem, & salutem in omibus artubus. Sic æger triumphat, triumphat medicina, cuius consolationem, ac patrocinium, podagricus aut gemebundus, aut lachrymabundus cupit, atque aperte appetit, ut non essent crudelissimi artuum dolores, non assiduę, non innumerabiles molestiæ. Nihil podagricus cogitat, nisi medicorum consilia, nisi pharmacorum suffragia, quæ porro non tam capere studet, quàm cum corpus, tum neruos sanare, Eius hic est labor, in hoc euigilandum putat, ut eum consilijs medicorum obtemperare neque pudeat, neque tædeat, qui primum tãtam radicum potestatem, & tot herbarum præsidia rimatur, & pensitat. Deinde potissimum non solum plenam, sed etiam comprobatam

comprobatam cum omni experientia adipem laudat, expectat, postremo malagmata, cataplasmata, emplastra, unguenta innumerabilia, saluberrima fomenta, catapotia, potiones, & probatissimos Syropos, uehementer, studiose, diligenter appetit. Sed quum hæc quidem ægritudo consolata antidotis ac medicinis multũ fuerit, uagabit̃ modo sanitas corporis longe, atq; late, simul requiem stabilem, & tranquillitatem certam habebit, Idcirco de medicina podagricus quiescit, gaudet, quum patitur, sperat quum mœret, consolatur, quum medetur, conualescit, ut uolet, quũ tandem uidet maximã cõsolationem in re medica cõtineri, aut tũ ex unius potestate charissimam salutem pendere omniũ. Sed potissimum iam hoc relinquo, & auspico aliud. Quis enim hoc nõ audit? aut quis hoc ignorat? quòd quondam præstantissimi homines, quòd gloriosissimi Cæsares, quòd potentissimi reges, quòd claA

rissimi

rissimi principes, non modo ex omni ge nere optimarum artium, commodissimã esse populo medicinam sapientissime iu dicarunt, uerum etiam cum summa inte gritate, tum singulari religione, & sancti tate ita coluerunt, ut maxima reuerentia apud eos habiti medici & celebrati sint, qui honores mire multos, & eximios medicis, & prope singulares, cum summa synceritate, tum liberali humani tate conati sunt exhibere, & amplissimis illos & muneribus, & præmijs, & salarijs annuis ornare uoluerunt. Nulla mediusfidius populo ars est, prudentis hominis studio, cura, diligentia, commendatior quàm medicina. Quis quondam tota græcia monarcha? quis dux? quis miles? qs ciuis? quis opifex? quis seruus? quis agricola, potuit inueniri, qui medicinam cum summa gloria constantissime nõ uenerari dignatus sit? Quid uero pulcherrima Italia, semper plurimarum artium, atq; optimarum alumna, quàm

maximis

maximis laudibus, & honoribus proba
tos, & fidos medicos afficit, & ornat,
quos amplissimis præmijs alit, quos tan
ta beneuolentia complectitur, ut non
modo omnium generum, ætatum, ordi
num omnes uiri, ac mulieres, omnes se-
nes, & infantes, sed etiam oppida ipsa ui
derentur, & tecta ciuitatum, ac templa
per Italiam medicos honorare, quia sunt
de grauissimis hominum morbis bene
meriti, quos officiosissima pietatis laude,
atque ornatissima, Romani põtifices, Car
dinales, Italię principes, optimates, respu
blicæ & colunt, & sublimãt. Vel num il
lis ferendam opem, uel numerandam
ex fisco cõmunitatis pecuniam cẽsent?
Num copiosissimo uictu honorificen-
tissime, ac liberalissime subueniunt? At
constat, at patet, quòd Deus optimus
maximus, qui ob summam sapientiam,
ac perpetuam clementiam, aut laudatur,
aut colitur, aut diligitur, quam uitam
mortalibus dedit, non eam Theologus,
non

non Iuriſconſultus, non Philoſophus, non Aſtrologus, neq; Dialecticus neq; grammaticus, neq; muſicus, aut conſeruat, aut prorogat, eam uero, quacunque ope liceat, tantummodo medicus adiuuet, qui rationem uictus adornat, ſalutares cibos capere præcipit, uitare obnoxios ſuadet, ſobrietatem colere, crapulã fugere iubet, quum ſumma prouidẽtia, tum etiam ſumma experientia ualet, uiget, floret. Paratiſſimus enim Deus ad omnem miſericordiam in primis ſaluberrimam medicinam, amiciſſimam humano generi, certiſſimam cõſolatricem è terrra produxit, & grauiſſimi conſilij hominem ei medicum quoquo modo ſapienter collocauit, & præfecit tanquã miniſtrum atque uenatorem naturæ, quòd potiſſimum cognitionem ueri, & induſtriam haberet, quòd poſſet iudicare rerum medicarum proprietates, & uirtutes, profecto aperit latiſſimum medicinæ campum, præſertim iſta doctrina, ex

perientia, ſapientia, qua omnia ſunt manifeſta mortalibus commoda. Totum enim genus cognitionis huius narratur, & iam proprijs declaratur notis. Cur doloribus acerbiſſimis prodeſt uarietas herbarum? cur flores & à corpore & à membris morbos propulſant? cur ſemina adeo beneficum, adeo ſalutare, adeo excellens præſidium tribuunt? cur fructus morbis opitulãtur, cur auxiliantur folia, commodãt ligna, cortices ſubueniunt, radices uigorẽ habent, liquores ſuffragium ferunt? cur denique ſucci parturiunt fontẽ perennem ſalubritatis? quia hę dotes, hæ poteſtates, hæ proprietates medicinæ habitæ ſunt. Quid gumi iuuãt? quid reſinæ? quid lachrymæ, quã bonitatem adipum, aruinarum, pinguedinum, oſſium medullarum poteſtas habet? Cur deniq; lapidum, metallorum, gemmarum, animalium, piſcium, uolucrum proprietas nihil hominibus præſtat aliud, niſi ſalubritatem, bonam ualetudinem,

tudinem, ſolatium, ſubſidium uitæ, innumerabiles horum omnium uirtutes, non ſolum rationibus rectis, ſed etiã inuiolabilibus argumentis medicus docet, aut in huiuſmodi doctrina, ac experientia, nônne etiam ſi homines propinqui morti eſſent, illos ô cõſolator uitæ tot phreneticos, multos maniacos, multos lethargos, plures mente captos, non minus ſolertia auxilij, quàm probatiſſimis medicaminibus ſubleuare ſolet. Itaqꝫ quoniam homines ſanè afflictos, et calamitoſos, & laborantes obnoxio, & Comitiali morbo, apoplexia, tremore cordis, deniqꝫ Syncopi procul dubio ſępe à morte reuocat. Atqꝫ his conſulere ſic audet, non abnuit dare medicamina. Si qua mulier ſit, quæ quum iſtam inſignem difficultatem pariẽdi, inuolutam angoribus uehementiſſime ſentiat, tum magnum præſidium artis medicæ imploret? inquit, O cõſilium medici, O diuinum numen medicinæ, ubi nunc eſt?

quod & si nulla in iactura, & nulla in necessitate remedia persuaderet obstetrix, & nō cum aliquo ingenio optimorum suffragiorum recordaretur, & præsto esset, mulier quàm sæpissime faceret aborsum, quum ad portum idonea ferè hora appropinquasset, id compertum est, ut innumerabilia mortalium milia in lucem non prodirent, mortifero detrimento oppressa, & cum isto luctuoso dolore, prorsus in teterrimam, & acerbissimam mortem ruerent, & turpissime perirent. O diuina & humana sapientia medici, qui profecto magno consilio maiores etiā uires cordis instauraret, in quibus fortissima medicarum rerum consolatio præsto est & uiget. Sunt em̄ medici amplissimæ dotes, doctrina uero, & experientia probatissima, qui oculorum cæcitatem, aurium surditatem, spiritum cerebri, organa mentis, obliuionem memoriæ, & domiciliū & quoscunq; defectus hominum, & iuuat, & corrigit, & remouet,

remouet, & non uidetur aliquid igno-
rare de ſanitate, ac ſubſidia præſtare.
Quid enim poſſit? ſanat corpus ægrum,
tum nihil agit aliud, neque enim hæc ob
liuiſcitur, ſaltem ut ſanitas, uigor, robur,
uita in corpore manerẽt. Quis enim eſt,
qui non probet? qui non laudet? qui nõ
unum poſt homines natos medicũ plu-
rimum ægritudinibus profuiſſe, pror-
ſusq́ maxima conſolatione uiſcera tota,
cuncta corpora, artus omnes affeciſſe,
& dicat, & ſentiat? Hoc enim Auguſtus
potentiſſimus, inuictiſſimusq́ Cæſar cer
te præcipuum fecit, quòd medicum ſuũ,
ſicuti ipſius maieſtas, & clementia poſtu
labat, tãta ſtatua inaurata ornauit, ut ma-
iore laude, maiore gloria ornare non po
tuiſſet. Diuinũ etiã Hyppocratẽ adhuc
uiuũ Athenienſis reſpublica, nobili cor
poris imagine, & gloria immortali quan
topere exaltauit? Sacra uero ſcriptura, di
gniſſimum omni uita honorẽ, ac iuſtiſſi
mum medico exhibere iubet. Ac quid
 contra

contra diuinam legem, contra mandatum, isti quidem superbi, & amentes errant, qui nepharijs uituperijs, flagitijs, sceleribus medicum afficiunt, conseruatorem sanitatis contemnunt. Scataphagon uocant propter ignominiam nominis, omnem contemptum in medicum, quadam cum petulantia inijciunt, quum primum acerbissimis morbis illi ipsi opprimerẽtur, quibus tum maximus Deus nihil rependere aliud concedit, quàm fatum aliquod, quàm admirabilem, quàm omni pœna dignam infirmitatẽ eorum improbitati iam appropinquare, iam accelerare, iam instare, atq; illi eo tempore nihil cogitant, nisi suffragium, nisi medicinam, qui cubantes miserabiliter, & iacentes in grabato, passi dolores infinitos, membris languidi, consumpti corpore, facie macilenti, uiribus exhausti, rogant, atq; deposcunt supplici uoce consilia medici, atq; auxilia pharmacorum. Quæ cum itã sint, præsertim id agit

Deus,

Deus, ex quo nihil minatur, nisi ut sæuientes cõtra medicos ulciscatur, q̃ primũ corpus eorũ morbus angit, mœret animus, totũ caput confectũ dolore est, torquentur uiscera, afflictãtur artus, omnes deniq; atroces cruciatus & tãta, & tã multa, & tã magna pericula mortis adsunt, tunc mox sine metu, sine uerecundia, adeo supplices ad medicũ, ut ad parentem salutis confugiunt. Sic hoc uerissimum reperiatur, quod nihil penitus dubitari posset, quin tandem multo plures, aut in curatione, aut in manibus medicorum moriantur, quàm sanentur, propter constitutam sceleris pœnam à uolũtate dei immortalis. Quare illi ipsi stolidi desinant, doctos & fidos medicos, petulantissima consectari lingua, desinant diuinum numen, & cœleste donũ medicinam morbo procacitatis isto despicere, qui semper iustis de causis quoduis exitium diuinæ ultiõis haud possunt euadere. At profecto patet maliciam hu-

manam à Deo optimo maximo esse uindicatam. Exponam enim tuæ amplitudini, Sapientissime Præsul, ex quibus rationibus optimarum artium, primus omnium medicus ipse uigilat, adest, prouidet tum morbis, tum doloribus, Is autem est, de quo loquor, & disputo, non philosophia solum, sed etiam astrologia, quod omnino ad præstantissimos uiros pertinere dicũt, apprime doctus, Astrorum scientiam noscit ita gloriosam, ita perfectam, ita excellentem, nihil ut fieri possit laudabilius, noscit magnitudinem firmamẽti, noscit efficaciam solis, noscit cursum cœli, noscit signorum motus, simul ac prosperitatem stellarum, atq; potestatem considerat, & in primis id, quod dignissimum est medicorum gloria, qui potiones, qui catapotia sub aspectibus fortunatissimis formant, & mortalibus suis ægrotis administrant. Sunt qui dicunt, nonnullam esse uim astrorum, quæ suo diuino dono, atq; munere non

re non modo nostris in corporibus, uerum etiam in nostra imbecillitate proprium, & naturale quiddam habent, quod aut prosit, aut obsit, quod tantus quum uigor cœli, tum etiam motus efficax ostendit. Quare hæc nobilissimi Astrologi non opinantur, sed sciunt, non dubitant, sed summopere affirmant, quàm sæpe, quàm communiter nostram sanitatem ipsam ex uultibus cœli pendere, quibus prosperamur, quibus gaudemus, quibus hæc ipsa solatia agimus, ac celebrare oblectamur, Aut quàm fœlix nobiscum aut qualis uigor cœlestis sit. Cur tantopere hoc commodum laudamus, quia competit ueritati. Harmoniā autem pulsus, medicus ea industria, eo ingenio sic obseruat, & iudicat, ut præstantissimis philosophis, ut eruditissimis hominibus, ut liberalissimis studijs prorsus omnibus antecellere ingenij sapientià contendat. Signa uero lotij de coloribus uel cognoscendis, uel docendis, uel

narrandis iam in publicum refert, quos ex quatuor humoribus cōponi indicat, nunc causas illas ægritudinis inquirit, indagatq́ꝫ quæ profecto non modo fortissimam corporis intemperantiam, & manifestissimam debilitatem, uerumetiā miram humorum corruptionem prædicant. Horum enim unus est necessarius medicus, qui quouis pacto contemni non debet, sed consulendus est, Quoniam atrocissimi curantur morbi medici studio, & languidissimum quodqꝫ corpus ab omnibus doloribus liberatur, Quum tantos cruciatus corporis deleuerat, quantos homo senserat, quantos passurus fuerat. Quis enim hoc nō uituperat maiorem in modum, si pulcherrimam famā medicorum laudi, & gloriæ magnopere abroget, & abstrahat maleuolus in cōuiuijs, comessationibus, ebrietatibus, in quibus belluinis moribus uiuant homines, in quibus nihil agatur, quod ad probitatem proferendum sit,

in quibus

in quibus altercationes, luxuries, omnia deniq; inaudita uitia atq; flagitia uersantur. Quid? quòd optimo cuiq;, & maxime sapienti homini iste ipse tantummodo facinorosus, immo uero quôd etiam maledicus, quôd inuidus, quòd sceleratus, quòd flagitiosus, quòd superbus, quòd furiosus, quòd impudens, quòd mendax esse uideatur? qui conseruatorē salutis etiā atq; etiā floccipendit, qui nihil spurcius, nihil criminosius, nihil atrocius, nihil nequius agit, quàm uituperasse, q̄ odisse morborum propulsatorem, quem propitio & sancto suo nutu ministrum studijs & officijs medicinæ maximus Deus cōstituerat, quàm multi morbis perirent, nisi consilium medici haberent. Qui aut tantis sese laboribus frangit, aut ita accurate cogitateq; de uita disputat, ut complexiōes singulas doceat, discernat morbos insanabiles à sanabilibus, secernat lætales à salubribus. Si qui sunt, qui perniciosissimis morbis,

qui

qui prauissima morphea, qui uirulentissima lepra adeo inficiũtur, ut eos amplissima maiestas Cæsarum, potestas regum, dominatus principum, nec ne sanctitas maximorum põtificum, Celsitudo Cardinalium, Dignitas Episcoporum, non solum ab aula, sed etiam à curia per consilium medici abalienet & eijciat, nec nõ eos cunctæ ciuitates à communitate ad uitã nosœcomij relegent. Omnes igitur prouincię propter salutem corporis medicum summa cum concordia, mente, uoluntate, perpetuo studio, una uoce colunt & alunt, Immo hominem frugi omnes nationes, omnes insulæ, uniuersi denique dij penates, tum singulis oris omnes sinus, tum etiam portus uehemẽter commendant. Quis enim mente captus, quis impos rationis, qui nõ sapientissimo ac singulari consilio medici supplex uteretur? ut quouis non alio, quàm isto beneficio medicinæ tutus à morbis esset, ut tam lætus uiueret,

ut q̃ longiſſimam ætatem uſque ad cen teſimum annum, aut attingeret, aut pro rogaret. Nónne hoc undiq; cernimus, quòd medicus ipſe, tot & tam probatis doctrinis, commodisq; luceat, incredibili autem prouidẽtia atq; integra, ita optatiſſimam medicinam aduerſa ualetudine laborantibus propè mortuis, exhibet, ut mira & ſtabili magnitudine animi corpus nulla deſperatione occupatum, nullo metu perterritum, nullo cruciatu exanimatum relinqueret. Vnum id eſt ampliſſimæ Præſul, quòd non oportet dubitare, quin medicinam hanc eſſe humanæ ſalutis conſolatricem, aut morborũ unam eſſe expultricem, hominibus aut cum ea uiuendum, aut per eam propulſandos eſſe dolores, nulli ſunt philoſophi, qui non medicinam colũt, nulli prouinciarum reges, ſi qui languida corpora ſanare uolunt, conſulere medicum conantur. Quis negat quàm publicis præſidijs, & uiribus totum genus ægrorum

medicina ſubleuat? quantis uirtutibus
ſtabilitam ſanitatem conſeruat, quàm
horribili doloris ferocitate auctas, exag-
geratasq; peſtes ſoſpitatrix una tantum
modo uincit, quas in corporibus labes
euertit? quæ tormenta propulſat, quas
ſuppetias fert, q̄d numen, quanta auxilij
beneficia, quàm incredibilē tranquillita
tem, quantam tum corporis, tum animi
requiem? quæ ſubſidia uitæ? quod ſuſpi
rium lætum, quãtum confugium, quan
tam deniq; leuationem morbi habet?
O poteſtatem admirabilem, atq; omniũ
quum linguis, tum literis decorandam.
furioſa ui morborum corpus confectũ
& fractum conualeſcit à capiendis phar
macis. Vnumquodq; enim tantum ma
lum, tam nocens, tam graue, tam late di
uiſum, atq; diſperſum per cuncta uiſce
ra ſedat una medicina, per quam huma
num genus ſic ſoſpitatur. Sacratiſſime
Præſul, ſi ullo modo fieri poſſit, ut in to
ægritudinum anguſtijs nihil periculi m

netur;

netur uitæ, ut ſimul integra ſalus ex medicina pendeat, ex ea naſcatur, ex ea num morbida ſanãtur membra, num ſumma prouenit alacritas? num nepharium coercetur tormentum? num calamitas repellitur, num dolor, num mors? Nihil in corpore detrimẽti manebit, & nihil perturbationis. Quũ profecto mortalibus perpetua ſanitatis adiutrix ea eſt, quæ ſanctiſſima patrona adoleſcentiam adiuuat, & oblectat, corroborat ſenectutem, in primis caſus humanos recreat, deſperatis perfugium ac conſolationem præbet, à morte multos excitat, quoties curat quoq; morbos inſanabiles, quoties ſuccurrit intolerabilibus doloribus, medetur, opitulatur, potiſſimum tum magnas tempeſtates languorum, tum procellas lenit, & ſanat, quando enim hoc diuinum munus non approbatur? quando ab omnibus ęgris non capitur? quando non placet, non delectat? Quis tam durum? quis tam agreſte ingenium habet,

bet, qui sanctissimis suffragijs medicinæ omnia conseruata corpora non esse fateatur, & agnoscat. Non hæc quidem prudẽtissime Præsul dubia elogia sunt, quæ profecto satis ostendũt ueritatis nõ solũ ad salutem, uerum etiam ad lætitiam corporis. Quoniam hæc q̃ sæpissime tanta uirtus miserã, ac luctuosam ægritudinẽ sanat, maximũ dolorem expellit, non patitur hominẽ sæuo cruciatu afflictum sæuo in morbo perire. Sed postremo mea imbecillitas ingenij nõ sufficientẽ medicinæ, nõ tantã laudem, quanta omnibus modis ei cõuenit, pronũciare possit, quæ omne sua potestate robur secundæ ualetudinis oẽm salutem corporis, omnẽ uigorẽ putatur donare, & uidetur, ut quã gratissimam, saluberrimã, dignissimam opem Deus opt. max. dedit, hanc omnibus morborꝫ doloribus aduocatricem oẽs natiões, totũ genus hominũ, uniuersus orbis terrarꝫ, cũcta progenies populi in sanctissima religione, in summa pietate, in perpetua reuerẽtia colat.

VALENTINI POLIDAMI, DE CVRATIONE MORBORUM, Decadis primæ Liber PRIMVS.

VALENTINVS POLIDAMUS Francisco Bonero S. D. P.



NON MODO TEcum mihi summa familiaritas, sed etiam admirabilis amicitia Francisce Bonere humanissime & spectatissime uir fuit. Diligenti enim mea curatione sospes & sanus cumulatissime mihi gratiam retulisti. Nam nec pro consilijs meis, laboribusq́ue quicquã abnegasti, propter quos si mihi nulla merces largita fuisset, tamen quod te ardentissime diligo, quodq́ue me à te plurimi fieri

mi fieri & puto, & sentio, in primis quũ pro tanta humanitate, tum pro omni ornamento officij sic nouum librum tibi mitterem, ut charissimo fautori, sic tanta charitate dedicarem, ut maiore nõ possem. Pharmaca autem maximos dolores, & intolerabiles cruciatus, & ab omi mœrore remotissimos abalienant, præterea magni suffragij, summæq; sanitatis sunt. Primum quidem acerbissimis hic liber languoribus sanctissimo Dei immortalis nutu quàm suauissimè opitulatur, deinde quòd quum frequentissimo studio, ac summo, tum etiam labore fortasse non imperitissimo, constanti quidem & assiduo certe frugalem artem docet. Est autem consolatio medicina quidem illa maxime utilis, quæ incredibilem morborum expulsitiõem habet, quæ magnificam potestatem, & plenam sanitatis, quæ mirabile plane robur, & quum summis uirtutibus, tum etiam dono diuino, si quid hoc ad rem pertinet,

ornatissimũ

ornatiſſimum præſtat. Itaque cum uera gloria uigilantiſſime ſemper doctorum uirorum tutor, ac mitiſſime patrone tuæ prudẽtiæ cõſulo, ut ea remedia legas, & relegas, quibus dolorum uarietas curatur, & ſedatur, & propulſa eſſe uidetur. Medicina autem, ut ipſe expertus ſis, & triſtiſſimo & uehementiſſimo dolori benignam ſe conſolatricem offert, quæ quum & mortalibus utilis eſſet, quãtam opem faceret, & ferret, & ſuam erga ægros bonitatem exprimeret, non abnegat petentibus auxiliũ, quod illis petendum eſſet. Quantas ſuppetias à medicina accepiſti, ipſe optime ſcis. Quanti aũt eam facere debeas, & tua ſanitas, & oẽs dolores teſtes ſunt. Profecto hęc eadem adiutrix cũ ſumma ope ac perpetua uirtute grauiſſimos morbos ſic conſolatur & ſanat, ut omnia mẽbra, quæ ſæuũ dolorẽ patiãtur, medica ſibi beneficia dari uelint. Quamobrem ſupremã hominũ ſoſpitatricem medicinã eſt tuæ pruden-

tiæ complecti summa reuerentia, & pari studio, cui in experientia, cui in uirtute, atq; commoditate percipienda plurimũ à beneficio frugalitatis fuisset & ueritatis, quod tibi optimum gratissimumq́; suadeo, ut tantos morbos, tantos dolores, cruciatusq́; tuos in potestate pharmacorum ponas omnes curandos. Itaq; quoniam diuina medicina est totius corporis sanitate refertissima, incredibili cõmodorum magnitudine locupletissima, plurimorum iudicio authorum sanctissima expultrix morborum, natura autem ita salubris, ut à languoribus non tam iuuenes, quàm senes liberentur. Hæc quũ ita sint, quæ quidem non modo singulari erga te humanitate, sed etiam summa obseruantia scripsi, & spectent eò, ut tibi quàm fidelissime consulam, ac obtemperem, cum clarissimis autem uiris mihi uetustus est amor, cõsuetudo, studia paria, & quidem tecum, quàm primum igitur hæc pharmacorum suffragia probatiora, &

ra, & expertiora, & subtiliora, & usitatiora, & selectiora, quæ à Deo optimo maximo creata, & à præstãtissimis in re medica uiris summo studio memoriæ prodita sunt, tantis morbis, tot deniq; angoribus tradere coner equidem, & maxime uellem. Si autem ex amplissima ope Dei immortalis aliqua polita mihi doctrina scribendi hoc tempore sic daretur, ut ita prodesse possem doctis uiris, quẽadmodum uolui scribere, nullam penitus operam, in qua dũtaxat illos iuuare possem, prætermitterem, illud ad extremum & conor, & meditor, ut tanquam probi, et industrij medici solẽt, ueruntamen acerbissimis in morbis, & tantis membrorũ, & corporis humani perturbationibus uigilantissimus esse cupio, ut hic primus liber tuo nomini dedicatus tãquam gratissimus, atq; commodissimus fructus esse uideatur. Quare ad omnem utilitatẽ tyronum, qui hanc artem colũt, me quidem non tam uigilantia quædam labo-

ris, quàm ingenium ipſum, ac ſtudium excitauit, ut non ſolum ſempiterna memoria apud poſteros de me, ſed etiam de te futura ſit. Reliquũ eſt, ut te adhorter, ut ualetudini tuæ, ſi placidiſſimo uultu, & amantiſſimo fauore ſcripta mea amplecteris, ſtudioſe ſeruias. Vale mi ſuauiſſime fautor.

Valentini

VALENTINI POLIDAMI DE Doloribus capitis Liber.

GALLICANVS MEDICVS, QVVM *ad ægrum uocatus esset, deploranti aduersam ualetudinem capitis, satis erudite describit atque enodat, quid sit dolor capitis, Et quæ uocabula eius à Græcis & Latinis atque Arabicis medicis posita.*



ETVS ARS MEDICA est, iam usque ab autoribus reperta græcis, eaq; & diuersarum nationum & omnium gentium stabilita consensu, adeo uereor ne nostra doctrina tibi sordescat perexigua, quum doctissimis ueterum libris diligētissime utaris, Scribam tamen quod

calleo, & ſcribam paucioribus ſophiſma tibus, quàm ars tãta ſcribi poſſit. Quam obrẽ aſſidue cogito, meditor, pergo ut cœpi, & ſupplex inuoco ſanctiſſimum nomen Dei optimi maximi. qui ſua pro gloria, ſua miſericordia, ſua clemẽtia inauditam magnitudinem auxilij, lumen doctrinę, uiuacitatẽ ingenij, iucunditatẽ laboris, gratiſſima atq; ſublimia auſpicia in proſperis ſucceſſibus adeo ſupplici ro gantibus animo adminiſtrat. Quippe cũ aſpicerẽ homines his medicinalibus au xilijs multũ egentes, ea præſertim appetere, quibus morbi repellerentur, illam ipſam uarietatem humani doloris, quæ etſi iamdudum à doctiſſimis medicis erat multum illuſtrata, & celebrata, ego tamen tacitus nullo modo præterire poſſum. Atq; ita artis huius me oblectamentum uel cepit, uel incendit, ut cupe rem q̃ ſtudioſiſſime medicinæ ſuffragia monumentis tradi meis. Dolorem autem capitis conor tibi ordiri tantum,

quantum

quãtum tibi necesse uidebitur. Sed quid dolorem tibi exponam eum, quem tu ipse sentis? Veruntamen ut præstantissimis uiris placet, is non solum in cerebri membranis, aut in quibusdam panniculis cranium inuoluentibus (quod sic à medicis appellatur) uerum etiam coope riente in carne multus & magnus est incommodi sensus. At ob eam ipsam causam repentinum detrimentum & materiale imprimit, uniuersa enim caluaria & substantia cerebri, quæ medulla apud plerosq; uocatur, ac ea omnia, quæ maxime carent neruis, nec quicquam sensibile habent. Quod cum ita sit, putamus illam doloris quidem partem potissimũ recte esse nominatam, aut in panniculis aut in carne, qua quàm plurimis de causis caput ægrotandum esse percipimus. Nomina autem complura sunt, quæ dolorem capitis significant, nos eam dictionem communẽ legimus, quã nuncupare sodam, Auicenna, Mesue, Serapio, in

 suis

ſuis libris ſolent, Alij ouum, alij nucem, alij paſſionem galeateam, alij Cæphaleam, alij deniq; Cæphalargiam appellãt. Et ea uocabula perſæpe leguntur, & paſſim docentur, quæ & pro acrimonia ingenij ad perpendiculum multi interpretantur, atq; ſignificationem eorũ declarãt, Ille autem, quem emigraneam ijdem autores appellant, nõ magis ſeparatus, quâm diuiſus dolor capitis eſt, & ut ijdem dicunt, capitis mediam partem occupat, Ea quoque monopogia habita eſt, & nominata, quæ unã capitis partem tenet, & dolorem ſui loci ſignificat. Clauus autem dolor & uehemens, & fixus cadit in quãdam partem, qui ut qua ferocitate, quo tormento clauus affixus caput pungit & diffindit, ita ægro moleſtiſſimus talis dolor apparet. Quidam uero dolor uidelicet per proprietatem fit, quidam quoq; per communitatem ſæuit, ut latini & græci Autores docent. Eum quidem dolorem per proprietatẽ

fieri feſti-

fieri festiue, & recte dicimus. Cuius omnis in capite duplex est causa. Vna causa est, quæ quàm atrocissimum intra caluariam facit dolorem, uel in quibusdam panniculis. Altera quæ posita est in carne, unde dispergi in omnes partes & dispartiri capitis morbus possit, Quum per communitatem etiam cæphaleam à stomacho, iecore, splene manare uidemus, aut ab alijs membris quod quidem non alienum sit. Non aũt nihil prætermittendum hoc in loco censemus, cum omnes causas uolente Deo paulo post explicemus, è quibus morbi, doloresq́ emanarent, id utilissimum uidetur, quod ratione sagaci, prudenterq́ consulente humanis rebus experientia factum sit, id quidem maxime proprijs in locis demonstrabitur, si quid tale, & necessariũ doceri potest & debet.

COGNOSCENDIS *doloribus capitis certas esse causas à Medicis conscriptas, quas Gallicanus ad*

nus ad ægrotum, ex Autoribus latinis & græcis, & Arabicis ſtudioſe diligenterq; comme morat, ac recitat.

EXponam nũc tibi æger, ex quibus cauſis ſex rerum naturalium iſti dolores cognoſcãtur, Deinde caſibus ſingulis medicinã ad trãquillitatem & quietẽ tuæ uitæ, ſi quã potero afferã. Exteriores cauſæ ſunt eorũ, qui ſumma frigora, & ſummos calores paſſi ſunt, quorum tormentis uexati, frui nulla ſanitate poſſunt. Harum cauſarum ægritudo eſt manifeſtiſſima, quum forinſecus cuiusq; rei calefaciendæ aut refrigerandæ dolorem præpoſtera applicatio inducit, & maxima uis balnei. Si uero homo ingentem iram, ſi excellens gaudiũ, ſi calamitoſum metum, ſi omnia animi accidentia non temperata tranſgreſſus fuerit, & aut id poſtponere, aut abſtrahere noluerit quicquid ad immoderatũ coitum attinet, ſi quum à turpiſſimis inci

tabulis

tabulis ueneris, tum à continua lididine & lasciuia non abhorruerit. Vnusquisque huiusmodi de causis grauissimos capitis dolores quàm sæpissime patitur. Si autem coitus, aut libidinis continua abstinentia accesserit, hoc profecto malum est, quod & ipsum sperma diu multūque retentum nonnunquam in uenenum immutatur, Vt Hali sapientissimus homo tali ratione, qualis potest esse uerissima commemorat super eo libro Galeni, qui est de parua arte medicandi. Sed quoniã ut intelligas, sæpenumero à spermate fumi eleuati, languorem non modo pariunt, uerumetiam mortem quasi repentinam expediunt, cauendum esse in laboribus superuacaneum exercitium conside ramus, longam quietis cupiditatem, pro fusam somni licentiam, præterea maximas uigilias, tum repletionem abundantem satietatis, tum abstinentiam immoderatam, quæ perseueranda capitis immensam ægritudinem, & grauem morbum

bum efficiunt, Fugienda etiam assidua epularum multitudo & peruorax cibo-rum gula sit, qui nauseabundi & grauis oneris mortalibus magnitudine non minus, quàm quum non idonea qualitate atque tum maxime uenenosa nocent, & ij cadunt facilius in morbos capitis, grauius ægrotant, tardius curantur, qui aut nullo penitus modo, aut nullo ordine custodito & obseruato, omnem potum & omnem cibum præpostere sumunt. Quid de comessationibus sumptis proferam super cibum non concoctũ, quæ fiunt uenenis nõ dissimiles? Quid de incommoditate loquar illa, cuius non natura in stomacho solum, sed etiam in capite facit morbum, ut & panis lolij & milij, & ut animalium intestina, atque eorum sanguis ante omnia, Pisces quoque oleo nucum cocti, qui cum aliquot horas feruidi, qui calidi, qui cooperti stetissent, Modo præsertim ab omnibus his sic tibi caueo, ut nec diligentius ab ulla

re, nec

re, nec conſtantius. Ea tibi fugienda etiã magnopere ſunt, quæ ut porrũ, allium, cæpe, caules, nuces, auellanæ olera, cætera〈q〉 legumina generis eiuſdem mirifice obſunt, quæ propter qualitatẽ, uel quantitatem, uel utrun〈q〉, uel quandam rationem & abijciuntur & refutantur, de quibus eruditius Autores noſtri in ſuis libris diſputant. Quid ego plurimos & artificioſos potus cõmemorem, quorum quidem detrimentum, non dolorem capitis ſolum, ſed etiam artificium & natura eorum inducit. At ſi nimis plenum, nimis fumoſum uinum in communi uſu etiam at〈q〉 etiam potaremus, de quo quidem fragilis capitis, miſerabilis, aſſidua uehemens offenſio ſit. Et hæ cauſæ, quas iam diximus, ſunt ineuitabiles. Nõ uero ſolum rerum, grauiter, turpiter, moleſte olentium, ſed etiam aut bene, aut ſuauiter redolentium, cauſę euitabiles ſunt ſane uariæ, & mixtæ & potẽtes, ut odor abundans muſco, ſtorace, croco, coſto,

cinamomo,

cinamomo, aſſa fœtida, porro, cæpis ac ſimilibus, Hæc eadem ego, ſi ullo modo fieri poſſit, crebrius odorare diſſuadeo, ex quibus oriri aduerſa ualetudo poteſt. Quid de horribili ſono, aut tonitruum fulminibus, aut uiolentia tormentorum bellicorum, aut eramentorum dicam? Breui expediam, Quoniam hæc nimis pernicioſa & nimis periculoſa ſunt. Caſus & uerbera, nunq̃ caput ſine magno diſpendio lædunt. Hinc oculorum obſcuritates, hinc aurium ſonitus, hinc cum doloribus perturbationes naſci ſolent. Hæ cauſę ſunt exteriores iam deſcriptæ, & ſimul, quod eſt ex hominũ omni doctrina probatiſſimum, autoritate corroboratæ, quibus ex cauſis eſt iſte dolor ortus. Venio nunc ad cauſas interiores, quarum mihi explicandum eſt teſtimonium diſtincte, apte, curioſe, id eſt origo aut per proprietatem, aut per communitatem efficiens ægritudinem in capite. Nam ut maxime febris, & quod ita dicam,

cam,ut uentoſitas,ut apoſtema,denique ut non tam ſimplices,quàm compoſitæ complexiones fieri in cauſa morbi poſſunt,aut duntaxat nonnunquam tam ſine materia,quàm cum materia, non ficta,non ſimulata ægritudo homini accidit. Nam Auicenna familiaris noſter, quo nihil alter Arabs eruditius ſcripſit, in eo libro,quem de cauſis uel perturbationum,uel dolorum ſatis ſuperq; ingenioſe ædidit,probat præclare humiditatem,quum etiam ſi ſenſus langueſcat, & hebeſcat, dolorem non efficere poſſe, Quod æque idem Galeni liber decem tractatuum de Cæphalea digniſſimus ſcitu,& utiliſſimus teſtatur. Huic clarus & doctus uir Meſue ſcribens de pſillio aſſentitur,Cuius uberem ſententiam & magnificam ueritatis autoritatem repetam,Nam à propria, & à recta ratione, quicqd humidũ ſit, id nõ ſemper in cauſam doloris cadit, quantum quidem id neceſſe ad humiditatem eſt pertinere.

Sed duntaxat in quantum cum materia esse potest, quæ quidem cum quantitate sua sese moueret ad continuam solutionem. Siccitas autem per accidens est, quando scilicet contingit causa alterius generis, quæ dicitur à quibusdam continua solutio, Idcirco quantum credendum sit, profecto eiusmodi cum hominibus esse non mediocrẽ perturbationẽ atq; infirmitatem arbitramur. Quis uero ignorat, complexionem malam cum materia sanguinem esse, choleram, phlegma, Melancholiam, quæ calamitosam, miseram truculentam insanitatẽ, & ægritudinem capitis, aut sua qualitate, aut quantitate, aut utroq; modo, acerrimis interdum stimulis excitant, & ita fit, ut omnes has non tam exteriores causas, quàm interiores, opera, & diligentia, & industria docere possimus, quarum inexplicabilis uis cum uiciosa materia unamquamq; complexionem capitis immutare solet, aut nonnunquam truculentis cõ

tinuam ſolutionem ſtimulis inducere, aut utrunqꝫ facere. Sed iam pridem hæ cauſæ à pleriſqꝫ ſcriptæ ſunt, è quibus dolor capitis prouenit, recte uero iam ad reliqua pergamus, & cœpta agamus.

QVEM IN MODVM SIGNA CVIUSLIBET *doloris in capite Gallicanus ægro deſcribit, ac ſimul per Galenum, Auicennam, Hypocratem, Meſue, Raſim, præſtantißimos medicos notata declarat, & ab eis ſtrictim atq; curſim poſita demonſtrat.*

DOlores acerbiſſimos habes humaniſſime uir, quos propê innumerabilibus ſignis, tam accurate collectis recitare conor ſubtilius, ut ea tibi innoteſcant, quæ planè inueniãtur, quæque ſint in afflictionibus, quas ægrotantibus medici exponunt, qui & optime omnia docent, & expertiſſime expedire & deferre ad ægros ſolent. Audi luctuoſiſſime homo, quod ſi ægritudo flebi-

lis, ſi laborioſa uexatio capitis à cauſis ex ternis progenita & orta ſit, quæ obiter, ordinatim, & ſummatim perturbationes à nobis in ſuperioribus ſcriptis erant diſputatæ, tu uero modo certior per eas fies de omnibus dubitatiōibus, & tuam per documentum prȩſens ægrotationē & morbum facile perſpicies. Patent autem cauſæ interiores aduerſæ ualetudinis, quod neceſſarium quoq; uidemus in ſumma fere cognitione, Sed argumētum earum an plane per proprietatem, aut per communitatem inueſtigandum ſit, Id breuiter cura, opera, diligētia mea explicabo. At moleſtiſſimus & grauiſſimus dolor, qui per proprietatem accidit, tot, tantisq; cruciatibus urgere homines tam diu non deſinit quouſq; ſaluam curationem, & completam recipiet. Sed ea capitis perturbatio, quæ non tam in auditu quàm in uiſu reperitur, aut in aliȷs interioribus, aut exterioribus ſenſibus, ſi nō proprietate uacat, fieri poteſt,

quòd

quòd in primis hinc tinnitus, hinc ſurdi tas auriũ, hinc obſcuritas uiſus, hinc ſo mni grauedo, hinc rationis perturbatio, & ſi qua ſimilia ſunt, naſcuntur, ſignaq́ eiuſmodi ægritudinis alia membra ſunt. Illud ne locupletiſſimis teſtibus indicat: ut planè maxima in ſtomacho, epate, ſplene, quę in eo dolore communiſſima ſunt, comperta uicia uideantur, tuemur uaria membra cauſarum quandoque ad faciendam ægritudinem pertinere. Omnem autem differentiam diſputant autores hoc modo, Exiſtẽtem dolorem intra conceptaculũ caluariæ dicunt differre ab eo dolore, qui cognoſcitur extrinſecus. Quocirca dolor, qui prorſus in myringis, aut etiam in alijs intra caluariam panniculis exiſtens fuerit, tanta fortitudine atrocitatis uſq; ad ipſas oculorum radices manat, ut quàm ſæpiſſime & quàm grauiſſima ægritudinis perturbatione foras oculi palpebras propellant. Si hoc euenerit, ut in membranis,

quæ caluariã uidelicet feſtiuo artificio, & diuina lege, & carnem tegunt, excrucians & delectabilis dolor fit, dolor eiuſmodi aduerſus oculos nõ declinat, atq; peruenit. Quum autem tactionibus cutem dolere conſtabit, is dolor eſt uel angor modicum uehemens, qui paribus cæteris intra caluariam contingit. Dolor autem ille ſit modo ſæuiens, modo miteſcens, qui naſcitur per membrorum communitatem, per pauſas quietis, & intercapedinẽ, quamobrem unumquodque tale membrum res ipſa detegit in ſua diſpoſitione, & conſtitutione uariatum eſſe. Sed nimirum has maximas cauſas à medicis illuſtratas, & celebratas per iuſtum ordinem quum aptis, tum uenerandis uerborum coloribus depingere neceſſe eſt. Siquidem à febre ſtirpes ſunt doloris q̃ multæ, quàm amaræ obortæ, quem tibi oſtẽdit una febris, & liquido aperit. Sed de apoſtematibus aliàs, quæ grauem, tetram, funeſtam cæphaleam

efficiunt. Dolor uero si quoquouersus uagans, si ultro perambulans, si citro discurrens est, non aliunde nisi de uniuersa uentositatis materia scaturit, in quo quidem ægrum quàm maxima molestia tinnitus aurium afficit, quo grauius nihil esse possit. Nunc necesse est tractare singula signa, quæ uniuersas doloris causas narrant, & explicant, Hæc enim omnia describunt medici, eaq; positis rationibus ægritudinis signa disserunt, quæ grauiter, & copiose per communitatem publicantur, et de quibus audies tu quidem, si quo elogio opus est. Optimus enim quisq; nihil concedit nisi prauam complexionem, & malam tam sine materia, quàm cum materia posse in causa morbi esse. Si uero materia nulla in uitio est, molestissima igitur grauedine caput ac simul omni narium humiditate carebit. An hoc quidem perspicuum est? ut si qua in omni complexione cum materia humiditas præsto sit, ea, quemad-

modum inuictus testis Auicēna inquit, solet in naribus tanquam in clarissima luce apparere. Ita in capite, nonnulla esse poterit grauitas, porro non modo capitis grauedo potius, quàm inclinatio ægrum & urit, & angit, uerumetiam uarietas nascētis mali ad periculū, & quòd si ulla sine materia complexio calida grauedinem capitis habens notaretur, acutus potius morbus erit, quàm mansuetudinis. Oculi nónne rubent? Nónne caliditas in tactionibus fortis continuaq; sentitur? Quare sic experimur, ut singula aut calida, aut tepida ægros, & miseros, ex anxietate plenos nimis multum conturbant. Contraria sunt signa frigidę complexiōis. Quòd si corporis complexiones humanæ cum materia non dissidēt, doloris causam Phlegma, Cholera, Melancholia, Sanguis efficiunt. Si sanguis igitur cū alijs humoribus commisceatur, qui à natura in anteriori parte dominatur, dolor uidetur recte il-

lic ſentire, & caliditas conueniens, & mitis in tactionibus inibidem percipitur. Ac nimirum publice, perſpicueq́ quædam ita apparent uenæ, ut tantopere cõtendant etiam contra conſuetudinem ſanitatis, Quæ & ſimiliter complures in temporibus tumores haud diſſimulant, & apertas inflationes, totum os eſt cum dulcedine confuſum, & plures aliorum membrorum partes cum quibuſdam grauiſſimis humiditatum caſibus, & quadam madefactione graueſcunt, ſæuit enim ab hora noctis nona uſq; ad tertiã diei, tam moleſtus dolor, tamq́ anxius, quæ quidem hora propria ſanguinis dicitur, pulſus tum magnitudine, tum etiã fortitudine plenus maxima patet. Vrina imbecillorum eſt ſpiſſa, & ruffa, & quaſi quodam circulo pari ſpectatur, Palam eſt enim ſi conſideratur ætas, ſi cognoſcũtur cõplexiones, ſi tẽpus anni perpenditur, ſi obſeruatur præcedens regimen uitæ, ſi quid tale exiſtit, quale magnificis

 ut tot

ut tot undiq; signis septum sanguini imperium consentiat. Ex his profecto morbi causas medicus facile, optimeq; perspiciet. Si autem cholera peccat, dolor est pungẽs, incredibilis, acutus per eam partem capitis, quę uocatur dextra, quia cholera ibidem se mouet semperq; discurrit, in primis etiam caliditas uehemens, pungensq; tactionibus sentitur, facies enim citrina, uel albedo commutata oculorum coloribus non debitis & iustis maxime cernitur, atqui os in omni despicientia externorum saporum uexatur, tum nausea, & acerbitate, tum etiam angustia, & cruciatu, & uaria ærumna, ut lamentatio, & desperatio sine ulla rerum expectatione meliorum adsit, quæ affert tum defectiõem animi, tum etiam perturbationem, modo fit incredibilis discessio appetitus, & deiectio. Ea autẽ uigilia acerba uidetur, quæ magna detrimenta, & ampla, & perniciosa habet. Vnde cruciatus, unde uexatio, unde lu-

ctus sem

ctus semper ab hora diei tertia usque ad nonam omnem uim corroborat, & occupat. Fit autem aut semper, aut communiter, ut urina citrina, ignea, atque subtilis sit, ac similiter aliquando circulus eius. Pulsus aūt similitudine apparet uelocissimus, atque frequentissimus plenissimusque duricie, quòd si ita sit, ut ætas, ut complexio, & si qua sunt de eodem genere, choleram in causa esse cōcesserint, ita unusquisque de omnibus rebus, quæ ad ægritudinem pertinent, certior fiat. Tantopere igitur animaduertendum est, Si nonnunquam tam pura cholera, quàm non pura repugnet ne plane: an possit in causa esse: Eius generis hæc sunt signa nunc explicata, quæ quidem constantius, conueniētiusque choleram puram ostendūt. Sed notandum est perspicacius quòd si progressa cholera nō pura ad hanc differentiam fuerit, quæ uberius, & diligentius de phlegmate tractabitur, in primis hæc eadem signa medium & colunt, & seruant,

ſeruant, Videndumq́; eſt illud, quòd ſi phlegma uarium, & obnoxium in cauſa extiterit, quàm pernicioſa, & uicioſa grauitas, & non uulgaris frigiditas in toto capite, uel quoquouerſus in occipite iterum atq; iterum ſentitur, ubi communiter, & maxime phlegma dominatur. Itē hoc tali quidem in caſu maxime eſt conſiderandum quòd prorſus os ſine ullo ſapore cū plurima ſaliua apparet, quôd facies nimis albeſcit, quòd ſemper ſenſus hebetatur. Sapor autem aut oſtēdit, aut habet porro multa genera, & uarietatem phlegmatum. Nam hoc quidem in experiētia ſæpiſſime comprobatum eſt. Si uero dulce fuerit phlegma, nónne ſaliua dulceſcit? Si acre, nónne ad acredinē intēdit? ſi ſalſum, nónne ſalſedo tanq̄ manifeſta in toto ore fit, & ſentitur? ac quanta cum moleſtia, & multitudine humiditates liqueſcunt, fluuntq́; è naribus? Somnus quoq; grauis, ac lōgus fit, & à tertia noctis hora uſq; ad nonam,

in qua dominatus phlegmatis ualidus perſeuerare ſolet, conatur continuo magis ægrum infeſtare. Eſt enim ſpiſſa & alba urina, cum ſimillimo circulo, mollis autem, tardus, rarus pulſus cum quadam uarietate concurrit. Si uero complexio, ſi ætas, ſi uictus, ſi & ea, quæ ſunt his ſimilia, nihil frigide, nihil ignaue, nihil dubitanter, nihil falſo atteſtentur, plane nulla res abſcondet imperium phlegmatis, & celabit. Si melãcholia ductas doloris & directas uias cum quadã frigiditate habuerit, ea amplificat aut anxios, aut acerbos ſenſus in parte ſiniſtra, & extendit, in qua dominatur plus, aut uiget. Quid dicam? facies q̃ plurimum liuet, admiranda oculorum albedo tumet, quæ quum omni uiſui ſit turpis, tũ ſanitati inimiciſſima, aut æger multos mortuos uidet, uel terribilia, uel fallaciſſima ſomnia habet, & qui in hora melancholiæ (quæ traditur hora nona diei uſq; ad tertiam noctis eſſe) plus millies,
quàm

quàm in aliis temporibus, torquetur & angitur. Pulsus autem cum omnibus documentis & præceptis in corporis motu, denique & statu lentus, rarus, durus, funditus percipitur. At si ætas, potus & cibi præcedens regimen, complexio, eaque singula, quæ his sunt non disparia, ut in coniectura, ita in factis, ac re dominatum melancholiæ significãt. Vrina autem, cum circulo suo alba & tenuis est, sed nonnunquam ad deformem & prauum & horribilem pallorem aut ad nigredinem declinat. Alba enim urina ex naturalibus causis maiorem perseuerantiam peccantis materiæ indicat, plus uero diuulgat tenuis futuram, & congruam euacuationem, at sic ratio concludatur. Si ægri cum laudabili perseuerantia nihil sanè euacuatio extra rem habuerit, fit in patientia doloris solutio, & liberatio capitis. Cauendum est autem ne quid indecore negligẽterque scribam tum in omnibus & dogmatibus, & argumentis

gumentis,ne quid ieiune aut faciam,aut cogitem, quibus ex rebus conficitur & expeditur id, quod quærimus signum urinæ, quod si ægritudinum certum sit,profecto non negligatur, quodque non dubitanter laudamus, si nonnunq̃ medicum fallat,tamen discendum sit ab omnibus studiosis,urinam quidẽ ipsam amantissime æger tãquam speculum ueritatis uidemus. Quæ quum ante oculos ægritudinem doceret, quæ mirabilia signa daret, ut aiunt antiquissimi medici, non modo uarietatem humorum ac eorum maturitatem quadam ui, & maiestate ueritatis significare per urinam corporis humani possumus, ac terrificam commutationem, atq; immaturitatem deprehendere, uerumetiam omnes memborũ dispositiones rimari & pensitare, quod eiusmodi accommodatum argumentũ in multam dissertationem fit, quia tantum id, quod necessarium est, proprie, publice, uere discernitur, Nam per secundam

cundam concoctionē in corpore nonnihil resectum, & præparatum ad renes demittitur, id est, à natura abunde ipsa pars & aquea & absoluta & superuacanea à sanguine diuisa, & segregata ad fluxibiles renum adiungitur, atque annectitur ductus, & tandem totius uesicę cursum quærit. Hæc enim urina est, quæ & proprie, & naturali motu, & prorsus in fine foras exit, & propellitur, ut quidē sanguis propter uirtutis mirabilē quandam, & singularem, ueramque proprietatem liberius ad alenda membra & transire, & peruenire possit, cum quo nonnulla humiditas certa adiūgitur, Cuius una praua, & inutilis pars postea per sudoris uiam aut emittitur, aut resoluitur sine sensu. Altera pars rationibus multis ad epar concurrit, & descēdit, quę ab omni alimento superfluitates dolentis membri secum portat, aut defert, non mediocri cum testimonio, quibus rebus effectum est, ut ea quidem pars tanquam su-

peruacanea

peruacanea succeßiuis horis missa & ad renes, & ad uesicam cũ urina permiscea tur, Tunc id sequitur ut in urina super- fluitates à nutrimento dolentis, imbecil- liq; membri publicam separatiõem for- ment. Res em̃ hæc hypostasis enucleate ab antiquis quidẽ dicta est. Hæc igitur ipsa humiditas permista cum urinæ sub stantia, parem ac similem postulat & po nit locum, quem aut aliquod membrũ in corpore poßidebat, aut moderaba- tur, à quo declinat, & decidit. Nam spiri tus cum calore naturali non modo in suo corpore uerum etiam in ijs, quæ ex- tra sint, actiões conatur serere. Et quum humiditas illa naturæ particeps, per quã officia agit, quodam modo super notas ægritudinis dispositiones eius membri, à quo mirabiliter deciditur, potest expri mere, & ob eam causam nostri medici quatuor circulos esse, aut quatuor po- tius differentias dixerunt in urina, qui su per uaria, & tot membra nonnihil signi

 ficare

ficare possunt. Quibus ab experimentia innascitur ratio recta, constansq́. Nónne is sanguis tam subtilis, tam lenis sit: qui moderate & magnifice alit cerebrũ. Quod quidem peritissimi & sapientissimi authores testantur. Aristoteles quoque in eo libro, qui de somno & uigilia inscribitur, locupletissimus testis habetur, ex quo ut subtilissimus hominis & purissimus is sanguis dici queat, quem capitis alimento aptissimum natura seruat, hinc cerebri nutriendi subtilitati adiuncta est uis quædam principatus, ut superioribus membris placere sanguis bene defecatus à natura possit semper congruentibus, aut postulantibus, aut utilitatis causa iure, & legitime consentientibus, ex quo purissimum capitis alimentũ esse probatur. Sic uero illa pars crassior sanguinis humiditatisq́, quod hoc unum inferiorum membrorum dicitur alimentum & putatur, eam habeat speciem, eam habeat conuenientiã quam deceat

ceat partes inferiores habere. Quare hoc ſic approbatum eſt, quod uniuerſum ſanguinẽ ea comitatur humiditas, quæ ſua poſteriori aut leuitate, aut tenuitate à ſpiritu, & calore naturali firmata, ſtabilita, coniuncta eſt, qui quidem calor & ſpiritus ut omnia in poſitu & ſitu ſuo, ut ſupra diximus, propria uirtute ageret, totum in urina ſupremum locũ conſtanti, iuſta, conuenientiq; ratione gubernat, & obtinet. Atq; circuli præſentis hæc pars ſatis recte, copioſe, diſtincte diſputata eſt, cuius ſimilitudinẽ eſſe ratio naturalis ab experientia ad doctrinam proficiſcens multo etiam magis cognitionem & ueritatem in morbis, atque doloribus conſiderandam ſuadet diligenter. Alter circulus ſuper totum cor, & ſpiritalia membra indicium ſignificatiões q; affert, plus terreſtris uniuerſa membra ſpiritalia iſte ſanguis nutrit, quàm qui porrigit alimentum cerebro, quanquam cor in præſtantia uirtutis, poten-

tis, potentiaq́ue uersatur, aut plaudit in hominum gignendo spiritu, aut quoquo modo illam humiditatem humanam cōmouet sursum, propellitq́ue, aut fortioris, aut intensioris caloris magnitudine, ac robore, & omnibus quidē uiribus, quæ fiunt, quæ dicuntur ordine, & forma positæ, in quibus inest fons & origo uitæ, tamen calor, propter ipsius humiditatis partes terrestres fortiter, excellēterq́ue eleuari nō potest. Circulus autem talis sibi scopum, & ordinem, & locum secundū asciscit & obtinet. Tertius circulus ex quibusdam perturbationibus epatis aut reliquis membris patet, quæ nutritiua apud medicos uocantur, quorum communiter humiditas, paucitate, & diminutione caloris non solum, sed etiam partibus terrestribus illius materię cum altitudine, & facilitate ascendere non ualet. Nónne huius circuli est uis occupare locum tertium? Quartus autem circulus augur manifestissimus inferiorum membrorum,

brorum, quæ ſanguine ante alia aut craſſiori, aut etiam abiectiori aluntur, quæque ab omni aliorum reſpectu ſunt & pauperioris, & minoris caloris comperta, & æſtimata, Ex quo igitur fit, ut ab eis tanquam ab impuro infimoq; fonte noſtrę omnes manant humiditates, quæ illum infimum, atq; ultimum in urina locum tenent, & complectuntur. Ex quibus omnibus intelligitur, ut quodammodo ex circulis tanquam ex proprijs ſignis, non tam ſuper diſpoſitiones & ſpiritalium membrorum, & nutritionis, & cerebri, quàm aliorum aliquid membrorum ſignificare poſſumus. Atq; etiam omnis circulus ad conueniens argumentum, aut ad uerum propoſitum exiſtens, & obſignatis quidem teſtimonijs imperiũ oſtendit ſanguinis. Hic eſt ille ſubtilis circulus, hic igneus, hic accenſus, hic & caloribus & ardoribus cum reliquis incẽdijs, tum maxime flammis apparet, & ſignificat illud Choleræ cum ſubtilitate

 imperium.

imperium. Crassus enim circulus & albus, phlegma ostendit, phlegma significat. Circulus autem subtilis, & albus, simul niger, uel pallidus, quãtumuis cum subtilitate melancholiam omnẽ promulgat & denunciat. Sed satis modo disputatũ est, ut primus circulus maliciosam pertinaciam, & perseuerãtiam materiæ, & furorem demonstret. Diuinat secundus tam uirium mutabilitatem, quàm corporis euacuationem. Quamobrem circuli urinæ in duobus coloribus reperiuntur uiridi, & plumbeo. Circulus em̃ plumbeus non modo extinctionem caloris ostendit, sed etiam aut epilepsiam, aut apoplexiam futuram innuit. Viridis autem signat humorum adustiõem, uel nunciat potius, atq; quandam confectatricem malorum phrenesim in acutis febribus uaticinatur, & repræsentat. Ac de his quidẽ signis, quæ utiliter uidẽtur esse dicta, de Cæphalea, plurimos effectus, per proprietatem aut cognosces,

aut

aut intelliges. Illas liceat funditus decla-
rare causas membrorum, quæ incredibi
lem dolorem non solum per communi
tatem cũ summis testimonijs, sed etiam
cum proprijs notis scite, subtiliter, diluci
de commonstrant. At quum sæpius do
lor à stomacho ortus esset in formidabi
libus casibus, qui per stomachi tabẽ, gra
uedinem, nauseam, fastidium, uomitũ,
maliciam concoctionis, eaq; omnia, quę
his sunt similia, cognoscitur, quoniam il
lud communissimum de singulis scaturi
entibus doloribus à stomacho cernitur,
& nullum dubium est, quin post cibum
sumptum minor ille dolor fiat, atq; mi-
nuatur sine mora, & tandem eius perma
gnum quoddam malum euanescere, &
mitescere uideatur, ideo multi sunt, qui
dolorem acerbum istum ab assidua ieiu
nitate posse homini accidere putant, at-
qui ob eam causam conuiuantur, epulã
tur, & uorant, ut dolorem propulsarent.
Vnde multo maior fieri dolor contra
 consuetu-

consuetudinem naturæ solet, Quoniam nonnulli crudum cibum ponere super indigestum non desinunt. His modis ægri sanitati plurimum obesse arbitrantur, quum fuerit omnis perturbatio contraria, tum tetra ægritudo à cholera enata. Hæc sunt accidentia perniciosa, in continua asperitate de siti oris, de uigilia, de debilitate, & de omni casu, in quo cholera solet deprehendi causa ægritudinis, Dolor in inanitate stomachi angetur, sed eam, ut res declarat, anxietatem furibunda cholera inflammat, quæ homines angit, & cruciat. Qui autem saltē quum à phlegmate tum à melancholia dolor scatet, is profecto malum saporē oris, deiectionem appetitus, mirificam sitis priuationem, quæq; eiusdem generis sunt, Ea quum indicia ueritatis propria ita præberet, ut sint phlegmatis & melāncholiæ communia, quæ supra diximus, et exposuimus breuissime quidē. Qui uero dolor non solum à duabus

rebus

rebus, phlegmate, & melancholia in tempore uacuitatis comminuitur, uerumetiam quasi relinquitur, Immo nonnunquam uidetur auferri à longa abstinentia. Si quodam modo in omnibus his rebus aut sumpto cibo aut potu dolor supprimatur, ut antequam ad incrementum diuturnum accedat, adeat, palam cõqui escit, & stat. Qui dolor ex fontibus tum cholerae tum etiã phlegmatis, aut melancholiae manat atq; scatet. At si quis originalẽ causam dolor habuerit ab epate, is dextram capitis partem occupat, quam palam in miseris tormentis, ut in dogmatibus Galeni est, Authores nostri esse uoluerunt. At enim si splen quidem in occasione morbi plus fuisset, quâm alia membra, porro omne malum in sinistra esset parte, quae solum quidem doloret. Si uero origo aliqua matrix fuisset, non modo in capite quidẽ summũ malum, sed malum quidẽ etiã esse maxima in offensione medici affirmãt. Si aut dorsum

aut renes doloris causa fuerint, Hoc uero malum atrocitate uiget magis, quàm quiete & tandem ad occiput uersus apparet, Si quoquo modo potius caussa mali panniculus, quem mirach plerique uocant, aut quædam maiora intestina fuerint, quàm aliorum membrorũ, nimis uehemens, & ardens dolor fiat, uel potius in sincipite nascatur. Nam comperitur, ut quidem aiunt, maxima perturbatio in doloribus, id est non magis tetra, q̃ detestabilis in omni uita. An est ista ullum maius malum ægritudine? quæ si in languoribus capitis habeat aliquid offensionis, in quo quanta desperatio, et lamentatio ualde abiecti, perculsiq; animi uideri potest. Horum sane dispositiones præter naturales membrorum, quæ modo supra nominaui, paulo post neruosius, & lucidius scribam, tu uero homo æger & miser id, quod ad periculũ, perniciemq; manare uides, ex hac modica doctrina optime cognosces, & quidem aper-

dem apertam ac ueram causam tuorum crudelissimo in casu dolorum ex nostris scriptis, & positis signis ad amussim inuenies.

QVAM DIVINATIONEM PRO *morte aut pro salute dolor capitis, & morbus habuerit. Hanc circumspecte, & curiose Gallicanus tradit, atq; inibi quædā notata & relata, quæ Hyppocrates & Auicenna super ea re scripserunt.*

ID sequit̃, ut de prognosticis, & præsensionibus ægritudinis differẽdum sit, in quibus cognitio, & aperta quædam morbi liberatio, & sanitas, omnisq; finis afflictionum & propinqua mors simul cernitur. Si igitur huic præcellentissimæ arti prognostica nostri medici in longis temporibus, ut doctissimus uir Hyppocrates docet, ab experientia sola inuenerunt, sic nationem quidem nullam arbitror neq; tam doctam, atque

prudentem

prudentem,neq; tam rudem,atq; barbaram,quæ non proprias notas ægritudinis enodari,& à medico publicari, prædiciq; posse credat.Hoc enim loco docetur id, quod dici morbi prognosticum potest, qui suis stimulis anxius capiti & crudelis accideret,huius uis est ea,si quædam uigilia somni, aut alienatio mentis, aut sæuus dolor ab ægro non possit separari,Id quidem mortale est,& rectissime mortem futuram significat. Omnis uero capitis dolor mortifero morbo ægrum necat, in quo aut animalis, aut naturalis uirtus effluens, & immane detrimẽtum patitur,ac subit. Quum idem dolor uim etiam capitis innumerabilibus penè pœnis continet,& occupat, atque simul materiã ægritudinis, ex qua, & in qua contrahitur apostema in parte anteriori,totam esse effrenatam,& uirulentam,ut nullum dubium sit,quin ex ea mortis indicia,subito cõijci,animaduertiq; possint,quotiescunq; furiosum Cæ-

phalea

phalea ſpaſmũ, & ſubitũ perpetrauerit, mors enunciatur. Quoties aũt dolor in capite repẽtinus fuerit obortus, quoties quaſi mutam uocem æger demonſtraue rit, toties maximis augurijs & certiſſimis ſignis ſubeſſe mortẽ futuram teſtamur. Quamobrẽ ingens in cerebro eſſe detri mentum arguimus, quod ſi quiſpiam pa tiatur, ut quàm plurimum in horribilem & ſuffocatricem ſubitaneam apoplexiã cadit, quando quoq; æger in cæphalea floccos in ueſte legit, fimbrias'ue didu- cit, aut in quolibet pariete adiuncto, aut oblato aſſere, ſi qua minuta eminent, carpit, aut delirium exercet, aut non dormit, aut oculorum mirificas eductio nes, aut nimias eorum retractiones indi cat, aut quid alieniſſimum ſit, id non po- teſt uitare, mortis index eſt, quatenus atrox cæphalea non modo appetitionẽ amouet, atq; faſtidium parit, uerum etiã concoctionem uiciat, & congerit cru- dũ aliquid ſemper & molitur. Sic mors

eatenus

eatenus timenda cõminatur, & in propinquo est, si molestissimum quoq;, & grauissimum singultum perseuerans capitis infirmitas progignit. Nónne prope certa futuræ mortis indicia sunt? Dolor enim omnis, quem capitis esse dico, ex multiplicante phlegmate, & melancholia effluens longior cæteris paribus fit, qui ex communicante & augente debilitate cerebri dolor prouenit, is ex facillima, & ex quauis modica causa reuertitur, & eo quidem ocyus, quo ad eum maior paucitas digestionis accedit. Dolor capitis, qui existimatur maximus malorum omnium, postulanti sæpenumero dispositioni contrariam curationem suadet, nonnunquam ille ipse aduentitio corporis ex casu proficisci, nasci, manare nunciatur, atq; prædicitur, Vt si quis, exempli gratia, fluente catarrho impeditus est, is raram, & difficilem curationẽ habet. Nam omne quod in illo casu medicamen calidũ applicatur, id catar-

rhum

rhum immodice, & rancide eliquare facit, frigidũ quoq; ex naturalibus causis continuo fluere, prorsus ita existimo, ut haud dissimilis aut impar urina asinorũ urinis sit, quæ non perperam presentem & futurum esse dolorem capitis uaticinatur. Hoc noster testatur Auicenna nobilis autor ijsdẽ in doctrinis, uir artis medicæ peritissimus, & ijs studijs deditus, quibus recuperare sanitatẽ maxime quidẽ corpus infirmum potest. Quod idem ab Hyppocrate uiuacissimi ingenij medico, caste, integreq; docetur, uehementer acutis in febribus urina, quæ aut alba, aut subtilis materiei fit, & obnoxium, & impium raptum ad caput repręsentat. Hæc sunt, ut probabiliter aiunt, quę uiciosam Cæphaleam efficiunt. Sed hæc hactenus dicere habui de prognosticis infirmitatum, nõ ut ea ad unguem uera explicarẽ, sed ut intelligeres, quàm essent necessaria, & quàm certos communiter exitus haberent, quæ quum nõ

aliquis superſticioſe, atq; aniliter, ſed physica ratione conſtantiq; interrogaſſet, Nunquid quandoq; à medicis non tam ſpreti, quàm deſerti conualeſcunt: quum prodiderit quoſdam fama ſuper libitinam cubãtes, in arcam poſitos, pro funere habitos reuixiſſe, ut antiquiſſimus & magni nominis Democritus unus, qui non ſatis certa argumenta finitæ quidem uitæ eſſe diceret, mirabiliter prognoſtica, & quaſi funditus ſuſtulit, quæ medici aut nimirum approbant, aut ſtudioſiſſime conſectantur. Quemadmodum autem experti ipſi ſunt, nunquam ab eis mentio de prognoſticis niſi honorifica, niſi plena ueriſſimi indicij ſit quum homines imbecilli ab acutis ægritudinibus uehementer opprimerentur, & in maximis uix ſuſpiria ducerent doloribus, tum non modo imperitos medicos, ſed etiam peritos fallunt. Illud autẽ ſic eſt iudicandum, fallaces magis notas & mortis, & ſalutis in acutis morbis eſſe,
quàm

ꝙ in chronicis. Sed hactenus ſatis de his eſt diſputatum.

GALLICANI ADHORTAtio ad ægrum non indigna ſcitu.

DEus immortalis, qui miſericordia et pietate plenus eſt, non ſolum pulcherrimo munere, ſed etiam maximo beneficio promiſcuum hominum genus amantiſſime complexus eſt, quod eſt beneficium diuinum, totam quidem corporis ſanitatem, omnem uitæ conſolationem, cuncta morborum auxilia ꝙ mirabili pietate, & tanta ſapientia cōſtituit, quantam poteſt nec quiſꝙ exprimere, nec non optima antidota, poſtremo tot pharmaca, tot radices, tot flores, tot gum̄i, tot arbores, tot herbas tot fructus, tot ſuccos, omnem preterea adipem animalium, ac piſcium, tum optimam omnium rerum proprietatem con

 tra

tra grauissimos morbos sapientissime formauit, An æger his auxilijs gaudet? an anxios cruciatus depellit? corporisne salutem reparat, in quibus tota Dei misericordia mortalibus patet, qua quum opus esset, non aliter ea uterentur, quàm maxime propria sospitatrice, quum mirabiliter tabem omnem propulsat. Sanauit ægros, quos uoluit, parauit salutem, restituit, attulit. At modo quid suadeam, nisi ut sanctissimis, & religiosissimis precibus inuocandus adiutor unus sit, qui sapientissimus medicamentorum creator, tot & tantos cruciatus de humanis corporibus expellit, exterminat, eijcit, ut non modo iucunda, lęta, constans sanitas, sed omnino uita hominum sine èo esse non posset. Vnum perfugium, humanissime uir, una spes ægris est Deus immortalis, maximum enim suffragium mortalibus cum eo est, tanquam uel maioris, uel sanctioris cuiusque consolationis. At quàm primum contra atroces morbos

bos fortissima Dei potestas fuerit, affli-
ctiones ne corporis cedent, atq; ab i-
bunt? Quamobrem illud deprecan-
dum Diuinum numen, & imploran-
dum prius est, quàm quicq; medicinæ
sumendum, quod mortem ante oculos
sępe uersatam fugat. Sic magnopere il-
lud etiam debes cogitare, ut quidem for
tissimum propulsatorem non modo in-
tegerrimo supplicis animi impetu, sed
etiam sanctissimis precibus inuocan-
dum putes. At porro tardius nihil recu-
pandũ ẽ, nihil sperandũ q; omnis amissa
sanitas sine ope, sine gratia Dei, quod q
altissimum, & gloriosissimum Deum &
sanctissime colit, & obseruat, & diligit,
is omni consolatione, id est, singulari &
assidua, & perpetua corporis salubrita-
te, & lætissima uita fruitur. Siquidem ni-
hil sit potentius diuino auxilio, quod
adeo sęuos dolores placat, Quid est e-
nim superbius, quid furiosius, q; si quis
contra saluberrima mandata medici con

 tem-

tendit, quem constituit sapientissimus, benignissimusq; Deus, ut solers ac uerus minister esset naturæ, non qui sanat, sed qui ministrat medicinã. Optima autem consolatio corporis medicina, ac penitus Diuinum opus, quod maxime mortalitas approbat, non medici in uirtute positum, sed in clementissimo nutu, & altissima gloria Dei uel tam morbosos, uel tam tabidos casus sanat, at corpora uegetat, & leuat. An ex illius una imbecillissimo cuiq; misericordia semp ꝓspericrecuperandę ualetudinis, ac fœlices euentus respõdent: quæ est maxime infirmorum propria, quæ omnem uiolentiam cruciatus propulsat, omnẽ molestiam amouet. Tu potissimũ æger & magnam fidem, & magnam spem in eum ponas, qui sospitare nihil solet, nisi imbecilla corpora. Quid de potestate medicinæ dicam? quid de commoditate, de proprietate, de uirtute, quæ omnes ægri, ac sapientes Diuina munera,

quidam

quidam etiam ſola cœleſtia bona eſſe
dixerunt, hiſcꝫ non modo ad lætam ui-
tam, ſed etiam ad longam ætatem corro
boratum, & ſuſtentatum corpus eſſe, il
lum ne proprium medicina ſuum mini-
ſtrum medicum eſſe fatetur? qui quum
frugi homo, tum perneceſſarius, & ſapi-
ens ægritudinum iudex, & probatus ſit,
ita quidem quiſcꝫ eius mandata obſer-
uet, ut ex quibus bonam ualetudinem
conſequi poſſit. Id ego à te omnibus mo
dis peto, atcꝫ ita, ut maiore diligentia uti
liore de cauſa magis ex animo petere
omnino nihil poſſim, ut ſalua pręcepta
hęc ſanctiſſime ſequaris, & colas. Hoc
quocꝫ ita ueriſſimum, ita rectiſſimum
eſt, ut non modo ex ope & numine di-
uino, & ſumma pharmacorum uirtute,
ſed etiam quum ex tua obedientia, tum
ex incredibili prouidentia corpus ſalu-
bre habiturus ſis.

QVAM VERA ATQVE VTILIS *curatio, ex antiquis & Neotericis authoribus, pro dolore capitis sumpta, qui à uitio sanguinis prouenerit.*

IAmpridem tibi laboranti intolerabilibus doloribus, in quibus tot dies torqueris, & ut uideo, torqueberis, perfideliter consului, atq; communiter solet mihi in mentem uenire illius consilij, quo citissime sanaberis, si plurimum capitis tui dolorem sanguis efficit. Hoc in graui & molesto casu uenam aperi. Quantum enim phlebotomia te adiuuare potest & consolando & prope æque liberando, facile ex ipsa quiete intelliges. Sed antea superuacaneos & communes humores educendos esse censeo. Si igitur non ipsa eos natura depulisset, aut radicitus diuturno interuallo temporis aluus obduruisset ad quotidianam secessionem, quare ex ueris, & naturalibus causis huiuscemodi clyster fieri posset, semper

ſemper aut laudabilis aut ſalubris, de quo hos duos modos tibi uiro optimo & homini imbecilliſſimo diligentiſſime deſcribo, quos mirandum in modum quoq; commendo quum propter rudes, ac uulgares, tum propter idiotas pharmacopolas. Primus modus non potuit accuratius componi, nec prudentius, q̃ eſt compoſitus à neotericis, cum induſtria, & diligentia de curatione humani corporis. Alter autem, qui ab antiquis medicis ſcriptus eſt, hercle iudicatur totus comptus, & plane oratorius, apparet, uel profecto tam culta uocabula & gręca, & latina continet. Quare ſcito me ſcripſiſſe eos, qui ſequuntur, & ex quibus unum tibi ſic uelim utiliorem eligas, ut leuationem habeas infirmitatis & doloris. Hæc autem à ſanguine nata in ægrimonia capitis eſt compoſitio neotericorum ſaluberrima. ℞. Matrum uiolarum, Maluę, Mercurialis, ordei mũdi añ. M.j. fiat decoctio, de qua accipe lib.j.ſ.

in qua cassię pulueris zuchari an̄. ℨ vij. electuarij de sebesten ℨ iij. olei communis ℥ iij. salis triti parum dissoluatur & fiat clyster. Si hoc quidem Enema non contempseris, cuius compositionem suo more tā distincte, tā distribute, tā eleganter, tā ornate, nō ueriti antiquissimi medici scribere sunt, modo igitur id ad utilitatem literis tradam, quod saluberrimam habet compositionem, ac molestijs uacanm. Maluę, Betę, Mercurialis, ordei mundi, furfuris singulorum accipiatur mauipulus, Bulliant in aqua, Et adijciant̄ succi betę, cyathi duo olei cōmunis cyathi tres yere, .✳. p.iiij. Cassię. ✳. p.v. mellis rosacei cyathus unus, fiat clyster. Et si potione uti ualde libenter uolueris, eiusq́ꝫ tum usus tibi placidus erit, tum etiam suffragium, Quod sunt multi experti in tali ægritudine, in quali tum ipsa uirtute tū etiā proprietate, materiam omnē alui educet. Hanc igit̄ tibi potionem trado & à te peto, ut des operam, ut eam intelli-

intelligam diligenter te sumpsisse, meumq́; consilium usui magno tibi fuisse, erit id mihi gratissimum. Hanc enim efficacissimam compositionem ad leuandam ægritudinem pro quibuscunq; diuitibus memoriæ recentiores prodiderunt, ut eiusmodi sit. ℞. florum Boraginis. Buglossę an̄. p. j. tamarindorum ʒ ij. sebestē numero iiij. seminū cōmunium frigidorum ʒ. j. ß. liquiriciæ rasæ ʒ. j. ß. bulliant in aqua uiolarum, lupulorum, an̄. q. s. secundum artem. ℞. dictæ decoctionis ℥. iiij. reubarbari elect. ʒ. j. spicæ grana iij. misce, & fiat infusio per horas decem, & facta forti expressione addatur cassiæ nuper extractæ, ℥. j. aut Mānę ʒ. x. Syrupi uiolacei ℥. j. misce & fiat potio parua, quam in aurora contra astrictam aluum uelim diligentissime accipias, da operam, postq; soluta aluus fuerit, quod hora quidem consueta potum & cibum assumes, ut res tempusq; postulat. Item pro pauperibus, ℞. dya-

 prunis

prunis solutiui ℥.ß. elect. de succo rosarum, ℥.j. dictæ decoctionis. q.s. misce & fiat potio, dimittendo reubarbarum & Cassiam & Mannam. Et si in dicta decoctione addatur mirabulanorum citrinorũ ℥.j. erit conueniens. Antiqui medici longe peritissimi principes medicinæ, si Cęphalea à sanguine nata est, docent efficax, dignum memoratu, plenũ fiduciæ, probatum planè remedium, quum & mitigantibus doloribus, tum etiam sanitate, si quid hoc ad uitam pertinet, diuinum, Antidotus autem est celeberrima, sic prorsus, ut nihil largiatur experientia maius. Quare ut uerum medicamen & meo dignum consilio tibi suadeo, quod capies quibuscunq; modis potueris, tibi profecto optima sanitas, mihi maximus certe erit honor. Eiusmodi autem potio habet reubarbari. ✻. p.j. spicenardi grana quatuor. Primum infundantur in aqua fructuum, deinde diligenter exprimantur, tandem addantur

tur scamoneæ grana iiij. fiat potio. His eductis humoribus superuacaneis te iã ad mittendum sanguinem tuto accedere, atque canonice puto, & hortor, quũ hoc tantummodo paribus, & in singulis rationibus consentientibus fiat, ubi corporis humani facies rubescit, ubi denique multum & plenæ tumescunt uenæ, fac si sanitatem diligis, ut primo die prouideas ex ipsa media cubiti dextri uena sanguinis detractionem, postero die satis commode & satis sollicite cęphalicam feriendam censeas. Quarto uero die transacto si maximus dolor ex omnibus partibus capitis tui non abierit, aliam aperiendam cęphalicam diligenter cures uelim, At si non eam accurate, nec studiose aperueris, ut de qua non modo sanguis non libere, sed ne paululum quidem proflueret, confestim loco eius Basilicam non tam ingenio, & prudentia, quàm scientia & arte secandam elige, & cuius proprietas uarios capitis humo

humores, & multos euacuat, cuius est nota fidutia, nota salus. Galenus enim omnium ingeniosissimus scribens de interioribus, ubi dolor multum & diu differtur de prospera ualetudine, Num uenam temporũ? nũ frontis? num nasi aut secare psuaserit aut iusserit? Idipsũ Auicẽna prima tertij confirmauit. huic duo assentiuntur uiri experientia insignes, Rasis suo in continenti, Hypocrates in suis aphorismis Diuinis. Quod si grauissimus in occipitio dolor neutiquam cessauerit, ipsa incisa uena quidem in fronte magna suffragia & ampla, & expedita habet. Ego autem artis ostendere præclarum munus uidi eos, qui in illo casu de naribus sanguinem & sæpissime & curiosissime aut setis aut alijs instrumentis prouocabant. Illud enim artificium æque applicare potest, industria melius uel prudentia, uel ingenio solertius, atque salubrius securitate, quia sunt nonnulli qui uenis, quas supra nominauimus, hirundi-

rundines apponunt, quod tu potissimũ scias, quum ualetudini tuæ maxime cõducet. Hijs peractis si aliquod cõplexio mala deliquium habeat, hoc uitium tanquam propriũ contra ualetudinem corrigendum est, et utendum sequentibus medicamentis, & tantum auxilij, & consilij adhibendum, ut reficiantur uires, nõ opprimantur. Nec uero corporis debilitati solum opitulandum est, uerum etiam spiritibus animalibus, atque uitalibus multo magis. Hanc enim omnes Neoterici salubrem compositionem ægris commendant unice infirmitati utilem, languoribus optatissimam, morborum optimam expultricem, quam quũ sospitatricem ipsam propter eius sublimitatem, salubritatem, potentiam, & uigorem contra cruciatus singularem mirifice laudo, tum magnitudinem eius re expertam intellexi, & noui mortalibus esse semper admirabilem. ℞. Syrupi de Endiuia, acetosi simplicis, mellis

rosacei colati añ.℥.ß.aquarum buglossę. Cicoreę lupulorum añ.℥.j.misce & detur quinq; uicibus ad minus,facta materiæ concoctione. ℞. Tamirindorum ʒ.ij.Mirabulanorum citrinorum ʒ.j. sebesten , prunorum. Iuiubarum añ.no.vj. Seminum comunium maiorum & minorum añ.ʒ.j.ß.florum buglossę uiolarum añ. p.j.aquarum lupulorum Cicoreę añ. q.s.fiat decoctio, secundum artem. ℞. supra scriptæ decoctionis ℥.iiij.Rheubarbari electi ʒ.j.spicę grana iij. uini aromatici parum misce,& fiat infusio per horas xij.& facta forti expressione addatur Mañę ℥.j.ß.sirupi uiolati ℥. j. misce & fiat potio. Veruntamen pro pauperibus possumus ponere loco Mãnę & Rheubarbari alia electuaria. ℞ electuarij lenitiui ℥.j.uel tantundem Cassię uel electuarij de sebesten ℥.ß. aut ʒ. vj.uel,℞. electu.de succo rosarum ʒ.ij. ß.uel Dyaprunis solutiui ʒ.iij. secundũ corpora, misce & fiat potio. Quod si

istam

ista nõ sufficiunt. ℞. seminis alteę ℥. iiij. & contundandantur optime semina in mortario,. & cum aceto debite incorporatũ fiat emplastr℞ & super petiā extendatur, & parti dolenti applicetur. Huic simile potest ex semine psilij & aceto fieri medicamen. Compositiones autem antiquorum tibi notas esse ex uarijs libris arbitror. Occupant enim magnũ spatium locorum, & maximum tędium legendi fortasse ostendunt, & quidem frequenter. Formulas earum tibi non deinceps scribam, in primisq́ ipsas longissimas propagationes, doctisq́ uiris odiosas, ab his figuris mensurarum atq; à quotidiano ponderum usu alienas, quas multi pharmacopolę ignorant. Quapropter tibi communes compositiones trado, neq; id inscitia adductus facio, sed quum frugalitate, & consilio, tum etiam impulsu cęterorum, ægros ex recentiorum doctrinis, & disciplinis, & præterea institutis magnam utilitatem esse cap

turos.

uros. Tamen mihi crede, prorſus nulla unq̃ memoriam meam obliuio capiet in quibusdam locis & libris compoſitiones ueterum adijcere.

DE OBSERVANDA RATIONE *uictus adhortatio Gallicani ad ægrum.*

OMnes, qui morborum, ac ulcerũ pleni ſunt, rationem uictus ſummo ſtudio obſeruare, ſummaq́ꝫ diligentia debent. Nam ſi tu ueram dietam, dies nocteſq́ꝫ cuſtodieris, quod te facere non dubito, quantam ſanitatem aſſequeris, cogita, profecto quantas etiam tuis membris uires propediem recuperabis. Si enim aliqua uoracitas te obruerit, quę ſanitati perpetua inimica eſt, ſignum omnino nullum uidebis ſanitatis. Quid enim, turpis ne crapula omnẽ ꝑ corpus uigorẽ ad infirmitatem uenturum facit? quam tu ita effugias, ita euites,

tes, ut luctuosam leuare ęgrimoniã posses. Ad temperantiã autem uictus maxime sanitas confugit, uoluptatis appetitũ spernit, quē ego non turpissimis heluonibus comparo, sed moribus beluinis simillimum iudico. Quamobrem cauendum tibi maximopere erit, ne quid non obseruato dapum regimine incommoditatis tibi in pernitiem redundet. Facias illud, quod salubre est, ut maxima opera, diligentia, uigilãtia, omne denique studium tuę nunq̃ dietę desit. In hac dieta, quid sis acturus meditere rogo, circumspice omnia incommoda crapulæ, quæ notissima sunt mortalibus. Profecto ut est apud authorem nescio quem, à fœda non modo uisu, sed etiam auditu crapula plures moriuntur q̃ à militari gladio, & aspice illos æger, qui in illam tetram temulentiam tam spurce, tam impudenter incumbunt. Num igitur ingens robur, & diuturnitatem uitæ adimunt? num salubritatem in temulento

luxu perdunt? num periclitantur? dum ita constituta à medicis poculenta, dum ita utilia esculenta contemnunt, ut mortem sequi, q̃ salubritatẽ corporis malint. Profecto arbitror dubitare neminem, quin possit peiores, grauiores, maiores morbos omnis gulositas facere, q̃ curare. Nam hoc certissimũ est, quod custodito uictu, tempato, moderato parum conualescit corpus, approperat modica tranquillitas, coalescit modica sanitas, maxima uero ab unaquaq; gulositate dilabitur. Quocirca à te peto maiorem in modum, atq; contendo, ut tu omnia mandata mea obserues, tu nullam ut crapulam cogites. Vtinam tibi istam mentem Deus immortalis donaret, quod ex una obseruata dieta omnem salutem, & uitam pendere non dubitares, an recte raciocinor? ut ex omnibus malis nullũ maius inueni, nullum legi, q̃ fomitem morborum crapulam. Ecquid loquar de perniciosis epulis? ecquid disputem de ob-

deobnoxijs fructibus, quorum etiam decoctores sunt, qui eos plus q̃ uoluptuosas comessationes, plus etiam quàm libidinosa libamina deuorant, de qbus tanti acerui morborum ad uiscera colliguntur, ut nascantur dolores, non sanẽtur ægri. Ergo tu inquam tu optime uir in his naufragijs, & iacturis dietę, & contemptu ne uerseris, ne te quotidiana uoluptas, ne magna cupiditas ad hoc summa licentia, suauissima amicorum sodalitas, iucundissima sotiorum consuetudo opiparis prandijs maiorem in modum oneret, ac superuacuis impediat cœnis. Quod si ex tãto periculo iste tuus appetitus tollatur, mediusfidius uideberis ad quoddam breue tempus morbo & dolore esse releuatus, nulla autem pernities residebit, & salubritas erit inclusa penitus in uenis, atq; in uisceribus corporis tui.

QVIBVS REBVS SEX NON *naturalibus ſeruandis, diligentißime utendum eſt, in dolore capitis, qui ſanguinis multis & uarijs ex cauſis emanatus eſt.*

MVltum ægris neceſſariæ rerum ſex nõ naturalium obſeruationes ſunt, quando hominibus ſine obſequio, & ſine regimine nulla medicina prodeſt, & nulla in ſalutem ſpes eſt. Sed quanquam omniũ morborũ rationem dietæ, quam ſuſcipiunt, ſeruare debent, cũ tamen haud eadem omnibus ægris dieta eſt, tu æger, tuum regimen uidelicet ad aërem frigidum ac ſiccum declines, huc te pares, hanc temperaturam ſerues. Quod ſi aërem uariare opus maxime ſit, ſuadeo, hoc pacto ſemper facias, ut ipſam aquam roſarum tibi permiſceas aut cum ſandalis aut maxime cum aceto. Quibus rebus tum ſtudioſe tum diligenter cubiculum uel camera irrigetur

in quietis tempore, aut ſic facias, ut quũ propter ſummam commoditatem tum propter ſingularem temperaturam fiat aqua cum aceto diluta, quam per cubiculum ſparſam tibi magno uſui atq; adiumento fore intelligas. Hanc eñ doctrinam Auicenna clariſſimus medicus tradit & docet, quæ quidem ſedationem doloris, meo iudicio cum ſingulari ſuffragio præſtat, quod cum uoluptate roſarum, Nenufaris, uiolarum ac ſimilium ſtramentum omnem ſedat uehementiam doloris, nec ſine fiducia unq̃, nec ſine auxilio experitur, Quando non ægrum quidem flores modo, ſed etiam ipſius odoris uis, atq; natura delectat. Quid tibi cantilenas? quid uoces hymnorum? Quid muſices inſtrumenta cõmendem maiorem in modum, quibus æger incredibiliter delectatur, quæ nec ullo impediuntur tædio, & tibi ad uitæ gaudium proxime accedere uidentur, hæc enim ipſa ſunt pernicioſa. Quemad

modum leuia putantur atq; communia, Ira, furor, triſtitia, timor, anxietas, coitus, ſomnus longus, quæ etiam ad dolorem capitis & in morbis aliјs, ut periculoſiſſima queq; ſunt, ita diligentiſſime uitantur. Cibus, cuius modo mentionem faciam, dari ſolet ægritudini conueniens. In primis adminiſtratur, Ptiſanna ordeacea, nobiliſſimum & ſaluberrimum genus alimenti. Semper enim pomorum punicorum ſuccus adhibitus temperat cũ ptiſañę. Semp limoniarum ſuccus, & citri, & citrianguli, & uuę immaturæ admiſcendus eſt, Simul aceti uirtus naturale quiddam habet, quod ſuo opere iuuare poſſit. Specioſa enim & ſalutaria fercula ex bono ordeo, aut ex ſelecta auena, aut ex panis abluta mica, aut ex ſimila, aut ex amilo, aut ex amigdalarum lacte, aut ex cęterarum frugum aut fructuum, tot & tam diuerſis ad ſanitatem ſeminibus confici poſſunt, nonnunq̃ eſſe ueniendum ad cibos carnium. Carnes aũt

caprinæ, uitulinæ non coëuntium pullorum, ruralium auicularum, perdicum, phasianorum, sic tantum efficiunt, ut quemuis cum admiratiõe adiutant. Has quidem carnes, quæ natura boni alimẽti sunt, cum succis, quos supra demonstrauimus, tu cõmuniter adornes. Quod si opus carnibus contusis uti fuerit in parcis ob ualetudinem prandijs ac modicis cœnis, quibus præsertim nominatos succos etiam atq; etiam commisce. Si carnes gelabiles uehementer expectares & desiderares, quotidie cum & aqua, & succo & uino concinnatas, aut factas manducare, quarum conuenientissimum usum tibi esse arbitrare, sed firmo uinũ constantiq; animo euites, obsecro, Salutarem enim loco eius ordei tibi aquam ac idoneam habebit desiderium sitis tuę, uel quam non solum tuus animus coctã cum saccharo sed etiam appetitus in potione nõ abhorrebit. Id sollicita, id enitere, quod placidissimum punicorum malo

rum uinum indies modicum cum aqua ordei diluatur, uel cum aqua q̄dem ſuccum citri acidum, uel ſuccum Citrianguli commiſtum ualde moderate bibas. Si autem notum exploratumq́ꝫ ſenſeris robur ætatis tuæ, ſi flagrantiſſimi caloris incommoda, & intolerabilem caloris æſtum uideris, da operam, ut morbus ſæuus, & tua neceſſitas poſtulat, ut cum ſuperioribus iſtis ſuccis non tam ſimplicem aquam, q̄ꝫ dilutam, & commiſtam ſumas, aut commodiſſime interdū cum roſaceo ſyrupo bibas. Præſertim quum maximam cœpiſſes uoluptatem, ex conuenientiſſimi & optimi uini odore, tum uero oblectamentum non modicum appetitus tibi gratiſſimi, atqꝫ amantiſſimi ſapores excitarunt. Quamobrem nunq̄ꝫ te pœnitebit, ſimplicem potius aquam uino dilutam, quàm uinum aqua dilutum ſumpſiſſe. Incredibilem enim fructum conſtitutæ dietæ capies, ex potus ſobrietate & abſtinentia cibi, Vehementer

menter igitur idoneam uidebis te ſine dubio accepiſſe ciborũ concoctionem, ac ſalubres humores tibi optatosq́ eſſe. Qui & de optimis eſculentis, & poculentis naſcuntur.

VERA ET EXPERTA CVratio de dolore capitis à cholera pura prouenien-te, ſimul & apte poſita & proprie, ac opera datur, ut conualeſcat caput.

COmmodiſſima tibi remedia propono ad dolorem, à cholera pura prouenientem, ualdeq́ ab eis conſolaberis, cognoſcesq́ tuam incolumitatem noctes ac dies recuperandam, ſunt enim ſumma præſidia. Quapropter obſerues maiorem in modum regulam ordinemq́ eorum, magnoq́ opere ad ea incumbas. Te etiam atq́ etiã rogo, ut eũ clyſterem non recuſes, qui diligentiſſime conſcriptus ſuperiore capite eſt, & quum ſuffragĳs, beneficĳsq́ in ſalutem

hominum refertiſſimus, tum etiam ſaluberrimis herbis, & oleis plenus, aut quàm rectiſſime, & quàm iuſtiſſime illam ante ſcriptam potionem tibi comendo, quã ualde moderate emolliendam capere & potes & debes. Si deniq; opus ſit phlebotomiam facere, cęphalicam quidem, aut nigram audacter ſecare potes. Audiuiſti tamen & meminiſti, & ipſe cognouiſti, ſanguinem eſſe frenum choleræ, propterea in cruciatu à cholera proueniente non tam copioſus & tantus ſanguis extrahendus eſt, quantus in cruciatu à ſanguine. Quocirca conſentientibus cauſis, moderatam phlebotomiam non timeas, de qua doctiſſimus Galenus mirificam mentionem facit, quum in cęphalea phlegmatica eam fieri iuberet, in eo libro, quem de regimine ſanitatis ſcripſit. Si quisquam autem appareat plenus uenis, his expertis primum illud erit, quod nihil turbulenter, nihil temere faciet ad dirigendam materiam. Nam

id ego cogito, consolationis ne plus, an sanitatis hoc afferat infirmis medicamẽ. Quod quidem tum plenum concoctionis, tum cholericis humoribus conuenientissimum neoterici scripserunt. ℞. Syrupi de endiuia, oxizacharæ añ. ℥.ß. mellis rosacei percolati ℥.ß. aquarum Cicoreæ lupulorum lactucę añ. ℥.j. pro una uice misce, uel si fortius uis, ℞. Syrupi acetosi simplicis ℥.j. Syrupi uiolacei de endiuia añ. ʒ.ij. aquarum Buglossæ nenufaris scariolę añ ℥.j. misce. Et si loco syrupi decoctione una omnium sanissima uti libet. ℞. florum Boraginis, Buglossæ, uiolarum añ. p.j. scariolę Endiuiæ lactucæ. Rosarum rubearum capillorum ueneris florum nenufaris añ. M.j. quatuor seminum frigidorum ℥.j. Seminis papaueris ʒ.iij. passularum ℥.j. fiat decoctio secundum artem in fluuialis aquæ uel fontis lib. iij. uel iiij. usq; ad consumptionem mediæ partis, & post aliquot horas coletur & fortis fiat ex-

pressio,

pressio, quæ cum zacharo dulcoreturi, & cui addantur Syrupi acetosi ℥.iij. & misce & accipe huius decoctionis ℥.iiij. pro una uice loco supra scriptorum syruporum. ℞. florum nenufaris Boraginis, Buglossæ, capillorum ueneris, uiolarum ordei añ. M. ß. sticados p. j. tamarindorum ʒ. vij. prunorũ no. v. sebesten no. iij. fiat decoctio secundum artem. ℞. dictæ decoctionis ℥. iiij. Cassiæ ℥. j. elec. de succo rosarum ʒ. ij. Syrupi uiolacei ℥. j. si autem placuerit, addat̃ pulueris sticados ℈. j. & fiat potus, uel tibi gratissimum, optimumq́ tale remedium facias. ℞. corticum mirabulanorum citrinorum ʒ. vj. infundantur supra scriptæ decoctionis in quantitate sufficienti adijciendo pulueris sticados ℈. ij. & per horas x. infusione stent, & facta expressiõe forti, addatur. ℞. Cassiæ ℥. j. elect. diaprunis solutini, de psilio añ. ʒ. j. syrup uiolacei ℥. j. fiat medicina, uel tibi aliam medelam omni diligentia, atq; industria

ſtria pares ad hanc ferè ſententiam. ℞. Tamarindorum ℥.j.liquiriciæ raſæ ʒ.j. iuiubarum prunorum añ.no. iij. Seminum omnium frigido℞ ʒ.j.ß. aquarum lupulorum Cicoreæ añ.q.ſ.fiat decoctio ſecundum artem.℞.ſupra ſcriptę decoctionis ℥.iiij. rheubarbari electi ʒ.j.ſpicæ gra.iij.ſticados ℈.j. uini aromatici parum miſce & fiat infuſio per horas x.deinde fortiter exprimatur .Cui adde extractæ ut ſupra Caſſiæ ℥.j.elect. de pſilio ʒ.j.& fiat medicina , ſi uis in modum pulueris eam medicinam capere,quæ ab Antonio Guaynerio ſtudioſe atq; enucleate ſcripta eſt. ℞.dyag.a ℈.ß.uſq; ad ℈.j.id eſt quantum & natura,& complexio tolerare poteſt,ſticados ℈ ij.ſachari ℥.ß. fiat puluis , quem accipe cum aqua Endiuiæ uel roſarum uel plantaginis . Alui enim ſolutionem commodiſſimam non ſolum, ſed etiam admirabilem efficit, uel ſi confectionis forma ſolida, uel liquida utendum eſſe

arbi-

arbitraris.℞. elect.de ſucco roſarum in tabulis ℥.ß.Quod tu diligentiſſime atq; libentiſſime accipias conſueto tempore. Vel facias ſic.℞. Caſſiæ ʒ.vj.elect.de pſilio ʒ.ij.fiat bolus pro multis & magnis commodis cum zucharo deauratus. Si uehementer modus tibi pillularum placet.℞. pillularum de Aſſaieret ℈.ij. de hyera ℈.j.ß.formentur pillulæ cum ſyrupo de ſticados, & aſpergantur cum modico cinamomo. Quarum doſis ſit à ʒ.j.uſq; ad ℈.iiij.uel recipe pillularum aurearum ℈.j.aggregatiuarum ℈.ij. fiant pillulæ cum aqua Betonicæ uel fęniculi no.xiij.& deaurentur. Quid ego tibi plura remedia commemorem, quæ tu ipſe nouiſti? Sed tamen ut iuſto & debito ordine tot malorum humorum & non uniuerſi capitis materia peccans ſolum concoquatur, uerũ etiam ad amuſſim belliſſime euacuetur, ob eam rem tibi hæc ſcripſi.

Quonam

QVONAM PACTO, ET QVI*bus instrumentis omnis materia diuertenda, & post euacuationem, quæ derelicta comperitur, quantopere corrigenda sit.*

QVocunque tibi in morbo materia peccans uisa sit, eam mirabiliter diuertere tot instrumentis potes. Hoc autem in casu res maxime conueniens est, & habet fundamenta certissima. Itaque facillime cum ligaturis & ad brachia & ad coxas illa materia trahetur, & cum semper cucurbitis sine scarificatione super humeros appositis potissimum diuertetur, & in re ipsa quantũ lotiones possint adiuuare facile perspicimus. Herba iusquiami est cum radice & salutaris, & laudabilis medela, eam tu ama, quæ magnum beneficium ad te defert. Commendo tibi herbam, sicuti tua ægritudo, & meum consilium postulat. Tantum ut salubrem ad morbum adiutricem applices, quæ tot bona, & æque

ſubſidia dabit ,ut diuertentibus humori bus cholericis cum calida decoctione pedes uſq; ad genua ante introitum grabati laues,ſentiesq́; futuram tibi ualetudinem , etiam quum grauiſſimus dolor adſit.℞. herbam iuſquiami cum radice, & coque in aqua,& fiat lotio . Aut hoc quidem medicamen tum plurimis auxilijs ,tum ſumma lenitate , & ſingulari ſanitate ualde plenum, ſic facias. ℞.foliorum ſalicis, foliorum uiolarũ , foliorum uitis albę uiniferæ añ.M.ij.fiat decoctio cum qua non tam brachia , quàm tibias ſic ante eſum ſummopere laua,ut q̃ primum humores , quàm accuratè , quàm fortiter ad partes inferiores trahas , ut etiam tantum illa ipſa decoctio calida ſit,quantum eam quiſq; in membris tolerare poſſit . Ad idem unguentum expertiſſimũ penitus commendatur, quod plurimum diuertendo ualet . ℞ . Oppij Thebaici camphoræ añ ℥.ß.fortiter tere,& diſſolue cum oleo roſarum , quo

ungan-

ungantur plantæ pedum. Sed quoniam reuertendum ad processum est, posteaq̃ materia euacuata est, tum pharmaca omnia localia applicantur à sapientibus, in quibus nobilissima uirtus capiti sufficit ad alternandum. Cauendum autem tibi est ab omni capitis applicatione, tum cataplasmate, & epithimate, tum etiam emplastro, & linimento, ac omnibus eiusdem generis rebus, quas tu nunq̃ morari ad suspectam horam cogas, ut potentiam etiam atq̃ etiam in corpus superfluam imprimant, aut actum caliditatis. Caliditas enim ipsa quum in caput reflecti posset, uehementer omnem peccantem materiam augeret in discrasiam. Quapropter non modo in præcedenti, sed etiam in præsenti curatione suffragia patent tum plena consolationis, tum etiam calidæ causæ absolutissima. Hoc autem totum documentum non tam frugiferum, quàm quod puto, ualde necessarium, aut memoriæ commendes, aut men

ti ſemper habeas. Sic enim tibi perſuade id cautiſſimum utendis applicationibus eſſe. Quod quum ita ſit, te cum maxima diligentia ad artem medendi deducam, ut ſuper tempora & frontem uſq; ad commiſſuram infra ſcripta medicamenta applices, quæ profecto perpetuum cum ſummo uigore, & copia, & mira crebritate, & magnitudine commodum adminiſtrant. ℞. aquarum ſolatri roſar. añ. ℥. iiij. aquæ iuſquiami ℥. ij. pulueris ſandali rubei roſarum añ. ʒ. ij fiat epithima pro fronte, & temporibus. Similiter illud quidem medicamen calorem capitis, & morbum ita ſubtiliſſime curat ut debet. ℞. olei Roſacei ℥ ij. aquæ roſarũ ℥. j. aceti ℥. ß. modo hæc uelim nominatis ſuper locis ſimul mixta ponas, uel olei roſacei loco maximi eſt ad morbũ præſidij oleum de folijs ſalicis, de cucurbita, de uiolis, de nenufare, de papauere, & ſi qua ſunt de eodem genere. Magnum autem ſubſidium ſanitatis iſte habet

bet ſuccus, ut lactucæ, ut ſemperuiuæ, ut uermicularis, ut ſcariolæ, ut ſolatri, ut foliorũ ſalicis, ut iuſquiami & ſucci ÿ, qui ſunt eiuſmodi morbis, ægrotationibusq́ cõuenientes, & cum quibus dumtaxat, aut modicum aceti, aut camphorę, quod ſi ita neceſſitas poſtulat, miſcere poſſis. Item hoc congruum linimentum ſic quàm peritiſſime facias. ℞. ſucci ſolatri ℥. vj. pulueris iuſquiami albi, pulueris papaueris albi añ. ℥. ß. pulueris corticum mandragoræ ʒ. ÿ. & cum his omnibus fiat linimentum. Et pari induſtria, & ſapientia loco dictorum pulucrum pone ſcilicet ſandali albi, & rubei roſarum rubearum ſpondÿ añ. ʒ. ÿ fiat puluis, quę cũ ſuperioribus ſuccis, uel potius liquoribus miſce. Vel cogitandum tibi aliud eſt efficaciſſimum, quod ſic facias. ℞. olei roſacei, & uiolacei, añ. ℥. j. ſucci uuæ acerbæ, aceti acerrimi añ. q. ſ. camphorę gra. iÿ. miſce, uel potiſſimum ſũt omnia ſana in hoc medicamento, quod

ſic facias . Accipe ſuccum capriolorum uitis, & cum farina ordei, & oleo roſa℞ fit linimentum. Aliud nobiliſſimum. ℞. de ceroto albo Galeni ℥. ij. & quod cum ſucco ſolatri, ſemperuiuæ lactucæ, endiuiæ, cucurbitæ, uuæ acerbæ confice. Aliud efficax. ℞. de puriſſimo lacte mulieris, quæ puellam peperit, quod cum albumine oui recentis miſcetur, & agitatur, uel ex folijs ederæ terreſtris adornatis, & præparatis, & albumine oui cum modica quantitate olei roſacei fiat emplaſtrum, uel loco foliorum ederæ. ℞. herbã acetoſæ. Raſis autem unus ex doctiſſimis uiris, atq; eruditiſſimis maxime probatus medicus, & magnis experimentis ornatiſſimus, & prope omnium, qui de medicinis aliquid ſcripſerunt, excellentiſſimus autor, folijs ſalicis perſæpe utebatur. Vel illud tibi ſaluberrimum ſic præpares. ℞. aquæ roſarum ℥. ß. uel aquæ raſuræ cucurbitę, ſeu foliorum nenufaris, lactucæ, plantaginis,
uel

uel tantundem ſolatri, atq; aceti acris miſce, & telam madefactam fronti, & temporibus applica. Cum acri uero aceto aqua ſimplex abſolutiſſime & fortiſſime agitata citra omnem controuerſiam commendatur plurimum. Vel ℞. mucilaginis pſillij cum aqua roſarum extracti aceti optimi ℥.ß. ſimul miſceantur, & ut ſupra applicentur. Doctiſſimi quidam iam ex nominata congerie emplaſtra conficiunt, quæ uehementer quidem deſiccant cum aqua roſarum, uel cum aquis cæteris ſupra ſcriptis optimê parantur, & perſæpe renouantur. Sed tamen loco eorum inprimis Guaynerius medicus præſtantiſſimus ea materia maxime uſus eſt, quæ in fundo mole fabri reperitur. Vel loco eius hoc unguentum uehementer etiam atq; etiam commendatur populeon, ſuper quod folia ſalicis accuratiſſime ponuntur. Hoc multi tali unguento medici utuntur diligentiſſime. ℞. olei uiolacei amigdalarum dul

 cium

cium ſiſami añ. ℥.ß. butyri recentis, pinguedinis anatis añ. ʒ.ij. camphoræ gra. ij. ceræ parum fiat unguentum. Meſue autem undecunq; doctiſſimus medicus maxime embrochas cōmendat, atq; accuratiſſime deſcribit. ℞. uiolarũ roſarũ, florũ nenufaris ordei excorticati, foliorum ſalicis, maluarum partes æquales bulliant in aqua quantum ſufficit uſq; ad conſumptionem quartæ partis, & per cannam urceoli, ſiue alterius uaſis ſuper caput infundantur, uel cape inſtrumentum ligneum aliquod. Si ſomnum aũt prouocare cupis, adde cortices papaueris & lactucã, & iſta te decoctio neutiq; fallat, ex qua & tibias & pedes lauare poteris, & quàm primum ſingularem leuationem te eſſe capturum ſenſeris. Alia embrocha. ℞. florum nenufaris, cucurbitæ, ſalicis, uiolarum, roſarũ, corticum papaueris albi añ. M. j. ß. decoquantur in aqua uſq; ad conſumptionem quartæ partis ut ſupra, & fiat embrocha. Alia embro

brocha ℞. florũ rosarũ uiolarũ, nenufaris, foliorũ salicis, uitis uiniferę, cucurbitę, papaueris añ. M. j. bulliãt in aqua, ex qua cũ spongia infundantur super caput tepida. Similiter suauissima hoc in casu ægris odoramenta plurimum ualent, & tanta in illis consolatio semper fuit, ut nulla maior esse possit. ℞. olei rosacei, nenufarini añ. ℥. j. camphoræ ʒ. j. hæc fac ut simul agitentur, quibus particulam spongiæ immersæ adde, & quàm sæpissime odora, aut simul naribus appone, aut camphora in aquam rosaceam, sane utiliter resoluatur, & ea ut supra demonstrauimus, studiosissime usurpetur. Hoc quoq; suffragium non deest ad prouocandum somnum, Quare fac ut quàm primum semen lactucæ coquas, & bibas, uel sapienter quidem papauer albũ cum lacte mulieris commisceas, & summo studio tempora ungas. Non dubito quin scias, quod in quocunq; casu opium magnopere cauendum est, quo sic

uti nonnunquam placet, sic ex doctrina Me
sue facias. ℞. opij, camphoræ an. par-
tes æquales pastilli lentis instar formen-
tur, quorum unus, uel duo in oleo uiola
ceo, aut de cucurbita dissoluantur, in
quo portionem bombicis intinge, &
paulatim naribus immitte. Alij sunt no-
bilissimi pastilli. ℞. spodij ʒ.ij. opij ʒ.j.
croci ʒ.ß. fiant ut supra pastilli lentis in-
star, quibus & constanter & fortiter in
quotidiana necessitate imbecilli utunt.
Hæc localia remedia magnis commo-
dis ornata in documento præsenti, rata,
& salutaria sunt teque plurimum adiu-
uant, ea tibi magnopere commendo.
Pergratum capiti tuo feceris, si dederis
operam, ut quidem his remedijs quàm
constantissime cum omni cura, opera,
diligentia utaris.

QVID EXPEDIT REGIMEN
sex rerum non naturalium & quibus modis in dolo
re capitis, tam à cholera pura q̃ à mala & calida
com-

complexione ſine materia proueniente obſeruatur.

ETſi regimen ordinatim ſex rerum non naturalium quàm ſæpiſſime ſcribere ſoleo, ſed quod magis pręſens, quàm præcedens ad frigidum declinare uolo. Dici autem uix queat, quãtum caput ægrum præſidij, quantum opis collocatum in aëre præſertim frigido ſentiet, quem tamen ita tu tam cum roſacea aqua, quàm cum aceto uaries in tua præſentia, aut cum acri aceto, & puri fontis aqua gelida aſpergas, ut magnam partem tibi ſanitatis aër alternatus afferat, quam cognoſces & eſſe iam, & futuram ampliſſimam ſenties. Odoriferis enim uigiles quibusdam pauimentum non magis floſculis, quàm amœniſſimis arborum frondibus cubile adornare, ut ſunt frondes quercus, & ſalicis, & uitis, ac cæterarum arborum, quæ ſunt his pares. Nihil enim iucundius, nihil ſalubrius eſt, quàm aut pomis, aut piris redo-

lentibus plena habitatio, quę non modo per frusta incisa, uerum etiam aspersa cum aceto, & aqua rosarum in diuersis locis admirabilem auxiliorum magnitudinem, aut odorum, aut uigorum oblectamentum præbent. Vt primũ habitatio congrua sit augendæ sanitatis, nihil putaui prætermittendum in nostris dogmatibus scribendis, quod positum esset aut refrigerantium in cubiculo, aut redolentium rerum, aut in lætitia animi uegetandi, id optime ex documento cognosces. Ita tibi cauendam iram, furorem, coitum, uenerẽ, & similia persuadeo. Somnus autem longus uehementer cholerico morbo competit, in quo æger suum caput super puluinar semper plenum aëre, aut uento teneat, aut neq; in aliqua plumarum multitudine dormiat, neq; quiescat. Hoc enim certũ sit, idq; & primum, & maxime necessarium, quod ægrum incredibiliter iuuat, qui quidem caput super mixta redolentium arborũ folia

folia non modo cum delectabili rosarum aqua, sed etiam aspersa cum acri aceto uigilanter teneat. Hoc ei nihil potest esse melius. Reliquum est, multo etiam erit cautius, si tu uniuersam tam detestabilem, tam pestiferam uoluptatem repletionis uites. Ea quidem etiam necessaria sunt, quæ ad cibum ægrorum, & ad potum pertinent. Ptisana ordei non suppurata est cibus familiaris atque uehementissimis doloribus cholericis pernecessarius. Item in quouis iusculo pulli mica panis cū lactuca, portulaca, acetosa, endiuia, quatuor seminibus frigidis, uel cum cæteris alternandis decocta calorem sensim extinguit. Quid ego illa conuenientia fercula commemorem, quæ cum iusculo, aut ex fructu amigdalarum, aut ex amilo, aut ex ordeo, aut ex auena cōficienda sunt. Nunquid mirabilis mica panis est? quæ antea ter æquè lota aut in aqua frigida, aut postea punicorū malorum succo, aut multo melius acido

succo

ſucco citri,aut uiciſſim berberis,aut granatorum uino aſperſa alternatur ſalubri ter, ſuper quam commodiſſime ſacharum appone.Hoc quid poteſt eſſe tum eſu gratius,tum guſtu iucundius? ſed ob iuſtas cauſas,& certas normas mirabiliter carnes prohibentur, quas ſi laſciuia non ſolum,ut ſapientes aiunt , ſed etiam cupiditas,& natura ipſa appetitus poſtulat. Competunt enim pulli gallinarum nondum coeuntes,qui congruam nunquam recuſant alimoniam,nec unq; ſine magno beneficio,ſine tota deniq; commoditate cum cucurbita manducantur, id maiorem in modum laudatur.Ruralium ſimiliter auicularum,lactantis uituli, aut hœdinæ carnes adminiſtrantur, quæ in hoc caſu cum cucurbita, & cum his,quæ ſunt de eodem genere confeſtim adornari poſſunt,& debent, quod ſi eas niſi toſtas cuperes,quas cum aqua roſacea aut cum uuis immaturis , aut cũ cæteris eiuſmodi , aut cum ſuccis prædictis

dictis impiger irriga. Quod si, ut fieri solet, te oporteret sorbilibus ouis uesci, quæ cum summa diligentia, ac solertia molliter in aqua decoquantur, nec non cum succis præscriptis quàm primum irrigentur. Hoc suasurus sum, puto equidem ualde ad rem pertinere, quod multum prodesse potest. Aquam ordei maximè proprium potum ægritudinis cholericæ ex animo commendo tibi, quum sis cholericus, & iuuenis, qua conuenientia aduersus dolorem, aut qua salubritate aduersus calorem in omni tempore calido aquam recentem cum modico aceto dilutam uales potare. Quoniam mirabilis eius uirtus, & commoditas uiam ad sanitatem aperit, & tantam consolationem, magnitudinemq́ auxilij donat ægris, ut conualescant. Aut ad eam granatorum uinum, aut succum citranguli, aut uinum berberis, aut id genus omni diligentia pone sic, ut maiore cura, maiore ingenio ponere non posses,

& si dimittere uinum non potueris, sit aqua albo uel rubeo uino bene iam pridem defecato commista. Magnopere ad ea quæ nunc scripsi, animum adhibe, me audi, consilijs obtempera, quo studiosius id dogmatis, quibuscunque modis possis, obserues, te uehementer etiam atque etiam & hortor, & oro.

QVAE CVRATIO IN DOLOre capitis sit, quæ proprietas remediorum, qui à cholera citrina non modo tanquam à furiosissimo humore, sed ab ardore etiam uehementißimo prouenit.

ETsi quum tibi rationem uictus traderem, aut appropinquare exitus huius calamitosissimi doloris, aut iam aliquid comminutũ, & confectum uidebatur, tamen de dolore capitis à cholera citrina proueniente hoc magis regimen, quam præcedens ad omne temperamentum sex rerum non naturalium declinare

clinare debet. Sunt medici, qui quum magnopere conuenientiam esus in cholera uitellina, tum maxime in hoc casu laudant, & hęc ipsa ordinata recte uolunt, ut sit caro hœdorũ, capreolorum, pullorum, auicularum ruralium, columbarum iuuenum, phasianorum, perdicum, cuniculorum, leporum iuuenum, inulorum, porcellorum, & ea, quæ sunt his similia plurimum commendantur, inter olera asparagi, cappares, lupi, buglossa, napuntiolum, uel napum ipsum, pastinaca crocea, uel alba, feniculus, petrosilinum in maximo uigore sunt, inter legumina cicer tantum, inter reliqua sata hordeum, alica, oriza, pannicum cum amygdalarum succo, & iure pingui, auxilium corpori iucundum & gratum ęgro præstant. Multi sunt, qui & oleum, & butyrum non possunt non laudare. Inter aromata crocum tantum, & machir, lactucam & rutham plerique improbant, & portulacam. Inter fructus conditi-

diticios limones in citreorum genere acorem, & acetum non multum acre, ſapam, & defrutum mirifice approbant. Paſtinaca gallica, napum, ac pira condita melle, uel ſacharo conuenientiſſima eſſe poſſunt. Etſi intectæ ſacharo amygdalæ, & pineæ nuces quodam modo non reprobantur, tamen prius biduo in aqua bis infuſa per diem macerari debent, propterea quòd capiti & ſtomacho nocent, in primis non ſolum præparatum coriandrum ſacharoq; albo inuolutum, ſed etiam pontica nux liberata cortice, & ſacharo condita maximum ſuffragium capitis doloribus, maximeq; neceſſarium affert, Cõfectum quoq; citrum ſacharo, & cucurbita immenſum adiumentum habet. Sed de dieta hactenus, res quemadmodum neceſſaria ſit, poſt narrationem uictus uenio ad curationem. Hæc in primis neceſſaria tibi eſſe remedia arbitror, quæ omnem ſuperfluitatem humorum communium euacuant.

cuant. Quare te rogo, ſi clyſtere opus erit. ℞. maluæ, blitis, mercurialis, florũ camomillę, florum boraginis an̄. M. j. ß. & fiat ſufficienti quantitate decoctio, de qua accipe lib. j. ß. in qua diſſolue caſſiæ pulueris zucchari an̄. ℥. j. hyerepigrę ℥. j. olei communis ℥. iij. ſalis triti parum, & fiat clyſter unus omnium commodiſſimus. Quod ſi cum maximo tuo deſiderio eas potiones ad purgandam aluũ eligeres, quibus melius ualeres, omni timore depoſito poteris libere hac potione uti. ℞. capillorum ueneris florum borag. bugloſſæ, uiolarum an̄. M. ß. ſticados yſopi an̄ p. j. paſſularum ℥. ß. liqui. ʒ. ij. iuiubarum, prunorum an̄. numero viij. fiat decoctio, in cuius ℥. iiij. diſſolue caſſiæ, uel mannæ ʒ. x. uel ℥. j. ß. mellis roſacei ℥. j. & fiat potio, quam in diluculo ſume, flauam enim choleram cũ ſumma quidem facilitate ducit, quemadmodum ſcripſi, aut quàm rectiſſime aqua fructuum tibi conducere uidetur, quam

uir optimus doctiſſimusq́ Meſue in eo capite ſcripſit, quod eſt de cęphalca à cholera citrina proueniente. ℞. roſarum uiolarum an̄. ʒ.iij.fumiterrę ℥.ß.prunorum numero xij. iuiubarũ, ſebeſten an̄. numero vj. tamarindorum ℥.ß.fiat decoctio, deinde accipe corticum mirabulanorum ℥.j.ſticados ℥.j.infunde in huiusmodi decoctionis quantitate ſufficienti, & bulliant parum, & fiat expreſſio, cum qua miſce caſſiæ aut mannæ cum dicta decoctione diſtemperatæ ℥.j.ß. mellis roſacei ʒ.vj.fiat potus, uel facias ſic. ℞. tamarindorum ʒ.ij.ſebeſten numero iiij.liqui.raſæ ʒ.ij.ß.ſeminum com munium frigidorum ʒ.j.ß. bulliant in aqua uiolarum, lupulorum, quantum ſufficit, miſce & fiat decoctio ſecundum artem. ℞. dictæ decoctionis ℥.iij.ß.reubarbari electi ʒ.j.ſpicę grana iij. miſce, & fiat infuſio per horas decem, & facta expreſſione addatur. ℞. caſſiæ ℥.j. uel mannæ ʒ.x. ſyrupi uiolacei ℥.j.miſce, & fiat

fiat potio parua pro diuitibus, pro pauperibus autem ℞. diafiniconis ℥.ß. elect. de succo rosarum ℥.j. dictæ decoctionis quantum sufficit, misce, & fiat potio, dimittendo reubarbarum, & mannam, & si in dicta decoctione addatur mirabulanorum citrinorum ℥.j.ß. erit conueniens. Nonnunq̃ persuadeas tibi uelim in tali dolore tuo adimendum esse sanguinem, propterea quòd nullam rem utiliorem iamdiu uidi, quàm cęphalicam morbi tui secandam, nunc te summopere nõ hortor solum, sed etiam pro amore nostro obsecro, obtestorq́ue, ut prius communibus superfluitatibus purgatis, si sectio uenæ necessaria fuerit, statim iam nominata & dicta uena cubiti dextri aperiatur, uel saltem cum scarificatione loco eius cucurbitulas super ceruicem aut inter spatulas appone, quæ cęphalicæ uices supplent, morbum extinguunt, caput in pristinum statum restituunt. Secta uena si operæprecium fuerit mate

riam aliquanto minorem facere, fiant potiones ſupra ſcriptæ, quibus adiungere poteris diafiniconis ʒ.ij.ß.uel electuarij indi ʒ.ij. Aut ſic fiat ſalubris, & grata tibi medicina. ℞. turbit ʒ.j.ß. zinſiberis ſticados añ. ℈.j.ß.id totũ infunde in modicum decoctionis ſupra ſcriptæ, & primum bulliant parum, deinde fiat expreſſio, cum qua poſtea caſſiæ, uel mannæ, ut ſupra diſſoluatur ℥.j.mellis roſacei ℥.j. fiat accommodatiſſima potio. uel facias ſic. ℞. electuarij lenitiui ℥.j. diafiniconis ʒ.ij.ſyrupi de ſticados mellis roſacei añ.℥.ß.aquarum yſopi, feniculi, boraginis ana ℥.ß.uel aquæ fructuum tantundem, fiat medicina. Si autem grata tibi forma pilularum uideatur. ℞. pilularum aggregatiuarum ʒ.ß. cochiarum ℈.j. fiant pilulæ cum ſyrupo de ſticados numero ix.uel ℞. pilularum aurearum arabicarum cochiarum ana ℈.j. fiant pilulæ cum aqua yſopi numero xj. Si maxima uoluptate afficeris ſumere

bolum. ℞. diafiniconis, aut electuarij indi ʒ. iij. ß. sachari quantum sufficit, & fiat bolus deauratus. uel ℞. electuarij de sebesten ʒ. iij. elect. indi ʒ. j. ß. fiat bolus cum saccharo. uel si potius confectionem in forma solida uelles. ℞. diaturbit cum reubarbaro in tabulis ʒ. iiij. Si uis ad hoc propositum pulueribus uti. ℞. turbit albi ʒ. ß. zinsiberis sticados ana ℈. ß. dyag. gra. vj. macis sandali rubei añ. grana iiij. zucchari ʒ. v. fiat puluis, qui totus pro una uice cum aqua lactis administretur, minuta materia ad reliquiarum concoctionem. ℞. syrupi acetosi simplicis, mellis rosacei ana ℥. j. ß. uel oximellis simplicis ℥. iij. aquarum absinthij endiuiæ, buglossæ ana ℥. ij. pro uicibus duabus, uel si plus secundum artem uis facere cum his aquis parum sticados bulli, uel nucis muscatæ. uel ℞. syrupi de sticados ℥. mellis rosacei ℥. ß. aquarum ysopi endiuiæ, buglossæ ana ℥. j. misce. Silo co syrupi optimam, & gratissimam

decoctionem uelles ℞. cicoreæ endi. lactucæ, ſcariolæ, ſticados, cuſcutæ yſopi ana M.j. radicum feniculi ℥.j.ß. liqui. ℨ. iiij. tamarindorum ℥.j. paſſularum ℨ.vij ſeminis endiuiæ ß. ſcariolæ ana ℨ.iij. iuiu barum, ſebeſten ana numero vj. & fiat decoctio ſecundum artem, quam cum nuce muſcata aromatizare, & cum ſaccharo dulcorare poteris, de ea quoq; ℥. iiij. accipe loco ſyruporum pro una uice. Quum primum humores digeſti fuerint, non tardes tu uti ſupra ſcriptis medicinis ſolutiuis, Sed primum doſes ut poſtulat ætas, complexio, & diſpoſitio naturæ, augere, ac minuere oportet, decetq; cum ſapientia, tum etiam ſumma diligentia, quod ſi opus eſt maſticatorijs. ſternutamentis, caput purgijs gargariſmatibus uti propter ſedationem doloris aut propter aliquam malam complexionem amouendam, aut propter eiusmodi aliquid, omnia diligentiſſime facias, quemadmodum in capite ſequenti ſcripturus ſum.

De

DE DOLORE CAPITIS CVratio solennis atq; excellens, qui à pernitiosa cholera scaturit, atq; nascitur, quam uitellinam uocant.

IN uitellina cholera regimen sex rerum non naturalium custodiendum esse non ignoras, quæ quum in dolore capitis existens causa est, & ipsa de tua sanitate res agitur, diligenter inseruies commodo tuo. Curationis præsentis omnia explorata, meditata, certa, & rata sunt, quæ non ad tantam frigiditatem, ad quantam præcedens regimen, pertinent, imò potius ad moderatam, & temperatam siccitatem declinant. Hoc regimen ad siccum temperamentum immutabis, Quatuor enim semina frigida, lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, & his similium omnino prætermittenda sunt, nõ solum studio sagacitatis, & iussu medicorum, quibus sanitas in tali cautela contenta erit, sed etiam & consilio & in-

dustria. Carnes autem uituli lactantis, ueruecis, perdicum, coturnicum, fasianorum, caponum, aut consimilium, neq; sunt uariandæ, neq; manducandæ cum acerbis & immaturis uuis. Nunquid id conuenientius est, quod in summa securitate aqua ordei deseratur? Vinum autem tibi cum aqua simplici secũdum mensuram proportionis magnopere diluere persuadeo, quod diligenter tu facias. Quibusdam autem horis exercitium corporis etiam cum animi uolup tate oblectari debeat. Talium exercitationum ingentia robora recuperare sola infirmitas potest. Propono tibi conueni entis somni ipsam sanitatem, qua nihil est optabilius, præsertim in his studijs, ex quibus longissima hominum uita & cõtingit, & euenit. Quàm primum applices aërem & ad calidam, & siccam temperiem uelim, & omnem rationem habeas nanciscendæ incolumitatis tuæ. Nihil prætermittas in te obtemperando, quod

posi

positum esset aut in esu uirtutis, aut in potu conuenientiæ, nunq̃ cum his ebrietatibus, crapulisq́; stomachus aggrauetur, quibus sanitas amittitur. Vellem ita aluus laxa esset, ut tanta excrementa omni die eijciat, quanta omnis necessitas exigit. Quod si ipsa natura nihil per se faciat, est enim non minus necessarium medicinalia instrumenta capere, quàm consilium expetere, quod doctissimorum uirorum ingenia, quod sapientia recentiorum, quod admiranda experientia ueterũ magnopere conscripsit, in illam igitur obedientiam incumbe mi æger, ut ne qua scintilla teterrimi morbi relinquatur, Quod si erit factum, & ego ęgritudinem diuinis pharmacis delebo, & tu salutem pristinam consequeris. ℞. maluæ mercurialis blitis ordei mundi ana M.j. sticados arab. M.ß. opus uero est, quòd quasi finita decoctione furfur addatur, omnia bulliant in aqua. ℞. succi blitis ℥.ij. olei communis ℥.iij. hyerepi-

græ ℥.ß caſſiæ ʒ.vj.zachari rubei ℥.j.
mellis roſacei ℥.j.ß.ſalis triti ʒ.ij.uitellos
ouorum nume.duos,fiat enema. Aliud
pro delicatis.℞.ordei mundi,blitis mer-
curialis furfuris añ.M.ß.bulliant in iuſ-
culo pullorum.℞. Caſſiæ ℥.j.olei com-
munis ℥.iij.mellis roſarũ ℥.j.ß.ſalis triti
ʒ.iij.uitellos ouorũ nũ.ij.& fiat clyſter,
nam ſi uis in pernitioſis, & inueteratis
humoribus tuis ducere aluum ℞. capil-
lorum ueneris ſticados hyſopi añ. M.ß.
paſſularum ℥.ß.liquiritiæ ʒ.iij.dactilo-
rum numero quatuor bulliant in aqua
Bugloſſæ,& melliſſæ,quantum ſufficit.
℞. iſtius decoctionis ℥.iij.elect.de ſebe-
ſten ʒ.iij.caſſiæ ʒ.vj. ſyrupi de Endiuia,
deq; byſantijs ana ℥.ß,& fiat potio.Per-
ſuadeas tibi uelim,quod eductis ſuper-
fluitatibus communibus non eſt inuti-
lis ad ſanitatem phlebotomia, ſic fit, ut
q̃ plurimi per eam ſibi uelint ſanitatem
adipiſci. Itaq; nonnunq̃ multum uide-
tur poſſe opitulari doloribus.Optimam

tibi

tibi à cæphalica minutionem atque cum summa autoritate literatissimorum hominum probatam maiorem in modum commendo, uel commodissimas procul dubio tibi phlebotomiæ loco cucurbitas cum sacrificatione super scapulas facias. His peractis si conuenientissimis pharmacis materiam minorem lubet facere. ℞. istius decoctionis, quam supra posuimus ℥. iiij. in qua dissolue ℥. ß. elect. de dactylis, seu indi ʒ iij. syropi de sticados ℥. ß. misce, uel accipe capillorum ueneris, uiolarum boraginis añ. M. ß. Seminis anisi ʒ. j. sticados ʒ. ij. liquiriciæ ʒ. iij. fiat decoctio. Sed cum hac decoctione comminisceantur cassiæ ʒ. v. accipe agarici infusi in petia ligata, & bene expressi ʒ. j. elect. de succo rosarum ʒ. ij. & misce, & fiat potio. Ad idem accipe capillorum ueneris, endiuiæ, sticados ana M. ß. florum uiol. buglo. ana p. j. Seminum communium frigidorum ʒ. j. ß. liqui. ʒ. ij. passularum ʒ. v. misce & fiat

decoctio

cum magno ſanitatis cōmodo, ualdeq́ꝫ
ab ea ſanaberis, cognoſcesq́ꝫ liberum te
& à miſero morbo, & acerbo dolore eſ-
ſe. Eſt enim nobiliſſima medicina, quam
fideliſſime non modo tibi trado, ſed eti-
am totum uſum eius uehementer com-
mendo, & te pro tuo incredibili erga ſa
nitatem amore, meoq́ꝫ item in te ſingula
ri, rogo atqꝫ oro, ne patiare quicqꝫ ad
hanc bibendam medicinam temporis
prorogari, quæ difficili in re atqꝫ cauſa
releuabit tuam ægritudinem cum max-
imo tibi in ſalutem & adiumento, & gau
dio. ℞. Hyſſopi ſcolopendriæ, ſticados
endiuiæ, cicoreę anthos ana M. j. radi-
cum feniculi ſparagi bruſci ana ʒ. v. li-
qui. paſſularum ana ℥. ß. Seminis endi-
uiæ, ſcariolæ apij ana ʒ. ij. conquaſſen-
tur & fiat decoctio, ex qua accipe lib. ij.
& in qua diſſolue ſyropi de endi. ſyrupi
de ſtica. ana ℥. ij. Qua decoctione præ-
ſcriptorum loco cum ſummo ſtudio
utere. Item & alia ſingularis decoctio &
plena

plena omni salubritate adest. ℞. pruno-
rum damas. nu.x.radicum feniculi apij
ana ℥.j. capillorum ueneris M.ij. mel-
lissæ, endi. sticados arab. scariolę ana M.
j.tamarindorum passularum ana ℥.j.li-
qui. ʒ.iij.quatuor seminum frigidorum
℥.ß.ordei mundi ʒ.vj. fiat decoctio se-
cundum artem, de qua accipe lib.ij.&
cui addatur syropi bysantini oximellis
squillitici ana ℥.ß. syrupi de endi.℥.ij.
qua utere uigilantissime, atque hæc ipsa
concoctis humoribus laxatiua pharma-
ca quidem audacter assume, quæ tanto-
pere supra docui, protinus concocta, &
uacuata materia peccantis choleræ ui-
tellinæ diuersiones, cucurbitas sine scari
ficatione, uel cum scarificatione sternu-
tamenta, purgationes è naribus, gargari
sationes, emplastra probabilia tibi sem-
per ultro scripsi non deses in studijs me-
is, quàm potui accuratissime, tuque meis
mandatis pro tua necessitate, proque tuis
ob recuperandam incolumitatem per-
petuis

petuis, maximisq; obſequijs omnia te fa ✓ cturum libentiſſime recepiſti. Legiſſe te ea remedia ſpero, quæ antiquiſſimi medici ſcripſerunt. Sed tuus ego quidem medicus uolui te propter magnitudinem infirmitatis, multitudinemq; dolorum, magis magisq; eſſe commonefaciendū, ut hæc caperes omnia medicamina, quibus tua aduerſa ualetudo uehementer indiget, ſicuti iam nunc mihi te obtemperaturū cumulatiſſime pepigiſti. Equidem exiſtimo aſſequi te promptam ſanitatem, ſed hæc ex conſilio meo, & obſequio tuo pendet, quæ fiat in ſummam læticiam tui corporis leuandi. Id præceptum non contemnes, pro tua ſapientia. Scio enim huius remedij auxilium ſemper apud te magnum fore, quod præcipuum eſt. Sic uelim exiſtimes quotiescunq; conſilio præſenti audacter uſus fueris, tibi remedium ſaluberrimum eſſe daturum. Præſens enim lotio, quæ huic ſemper caſui prodeſt in multis, & mag-

nis laboribus, & ad tibias, & ad brachia, ita tam fiat calida, quàm ut tolerari poteſt. ℞. florum camomillæ, florum uiolarũ, foliorũ uitis albæ uiniferæ, roriſmarini ana M. j. ß. ex qua dumtaxat uacuo ſtomacho lotio, ut ſupra dictum eſt, quum ad brachia, tum ad tibias fiat. Lotio alia ad idem ex omni parte ſuffragium præbet plurimum. ℞. ſticados melli loti, camomillæ, ſanſuci, nenufaris ana M. ß. corticum papaueris M. j. fiat decoctio, Et fac diligentiſſimam lotionem, erit id tibi uehementer ſanum. Etſi curationem ualetudinis tuæ omnibus modis ſtudioſiſſime perſcripſi, tamen non tam diminuta materia, quàm pro maiori parte educta non ratione diuerſionis ſolum, uerum etiam uniuerſarum reliquiarum maſticationes, ſternumenta, purgationes narium, eaq́ꝫ omnia, quę his ſunt conſentanea, ut morbo, ita doloribus & applico & adiungo. Quanq́ꝫ hæc frigidis humoribus idonea magis

arbitror fore, quàm cæteris, quum & multis & uarijs de causis cholera uitellina gignitur ex cholera rubea & crasso phlegmate. Huic tamen casui nonnulla remedia conscribam, in quo facile depellere possis tuũ acerbum per consilia nostra morbum. Conueniens tuo casui mastix laudatur medicamen truculentissimis morbis familiare, eum tibi unice commendo, eoq́ magis, quod quum ipsum expertus sum, tum quòd multis prodest ægritudinibus, quo quidem uno tu mandendo, & ruminando remedio constantissime utere, & cui ualde pauca piperis grana, uel aliquantulum cubebarum, uel modicum corticis, radicis capparorum adiunge, atq eiusmodi commanducanda dentium contritio continuis tribus diebus, tum uacuo, tum ieiuno stomacho usui detur. Sed quoq ut id assumas, te uehementer rogo, ut de lino usum, masticationemq́ (quod ita uulgo aiunt) nouæ & mundę telę æque

adhi

adhibeas,ac si tua suauissima sanitas esset. Velim tamen,quod nec quidq̃ aliud cures hoc tempore nisi ut quàm commodissime conualescas,& hoc optimũ, & suauissimum sternutamentum tibi nõ displiceat,quod modo fac cum tela, aut cum setis, quod cartilagines commouet,& purgat.Præsentem igitur purgationem æque contemplare, ac si ualentissima tua & innumerabilia auxilia essent.℞.yreos ʒ.iiij.cyclaminis ʒ.iij. maioranæ hyssopi ana M.ß.bulliant,& fiat purgatio narium. Si autem illud uis, quod tibi suadeo plurimum, omni diligentia puluerem contusi piperis, cinamomi,sinsiberis,ac similium, quibus ad ualetudinem opus est,naribus infles, uel si tibi placeat. ℞. mellis aquæ ℥. iij.succi radicum blitis ℥.ij.misce.Simul tis modis purgationem fortiorem uis, quæ quum te cumulatissime iuuaret.℞. succi blitis scilicet radicum,succi maioranæ,ana ℥.j.uini albi,& optimi ciathum

numero unum, croci ℈.j. misce, & id calefiat, quod deinde calidum per nares attrahas, quantum ualeas tolerare. Si autem uis, aquam mellis loco uini ponere potes. Illud quoq; facias, mi æger te rogo, gargarisationes ne abhorreas illas, quæ ad tuam ualetudinem pertinent. ℞. hyssopi M. iiij. fiat decoctio, in qua dissolue oximel simplex, uel oximel squilliticum, & qua diligentissime utere, Aut facias sic. ℞. saluiæ, serpentariæ, hyssopi añ. M. j. maioranæ M. ß. fiat decoctio, cui addatur oximel simplex. Hæc autem remedia paucis complexus sum, quoniam eiusmodi magis necessaria consilia in dolore à phlegmate narrare, atq; explicare operæpretium est. Nunc humoribus purgatis quidem ego te hortor, ut omnem diligentiam, & industriam adhibeas ad conualescendum. Velim cathaplasmata, & emplastra, & olea capiti applices, quæ uniuersum caput corroborant, & quæ complexionem malam, si

qua

qua quidem derelicta ſit, plane corri-
gant, emendent, remoueant, quo qui-
dem caſu tuo, cũ oleo camomillino, uel
anetino, quod tibi erit gratiſſimũ omni
um, diligenter & frontem & tempora
inunge. Si maioris uigoris emplaſtrum,
ut ſpero, cupias. ℞. uiolarum, roſarum,
fabarum, camomillæ, quantum ſufficit,
& fiat emplaſtrum cum ſuperioribus
oleis. Quum uehementer auxilia hæc ti-
bi etiam perſcriberem, quæ porro ea-
dem non tam in ſequenti quàm in præ-
cedenti capite ad leuandum dolorem
ualent. ℞. aquæ roſarum lib. ß. albumi-
na ouorum numero duo miſce, & ſua-
uiſſime applica fronti tuæ. Item ℞. olei
roſacei ℥ I. ß. aquæ roſarum ℥. iij. aceti
albi ℥. ß. albumina ouorum nu. ij. miſce,
& bene agitentur. Aut illud facias, quod
in iſto morbo mirandum in modum
conueniens eſt, Nam quum maximam
haberet conuenientiam, ex ſuffragio
ſubtiliſſimi atque ſummi uigoris, tum ue-

ro fidelissima mea consilia cumulum tibi sanitatis afferrent. ℞. Aloes. ℥. ß. & cũ oleo rosaceo, & aceto præpara, & dissolue, si sanitatem amas, aut euestigio fronti, aut temporibus impone, atq; quosdam uidi addere modicam farinam fabarum, quæ huic est gratissima omnium medicinæ, & mirabilis, & sublimis auxilij maiorem in modum. Si ob dolorem intolerabilem, aut ob multas uigilias somniferum emplastrum expectas ℞. croci ʒ. j. ß. opij ʒ. ß. rosarũ rubearum ℥. ß. fiat emplastrum cum cæpis decoctis. Si tale autẽ unguentum tibi placet, ℞. oleorum rosarum, uiolarum, iusquiami ana ℥. j. unguenti populeonis ʒ. ij. misce, & fiat unguentũ, atq; modicum ceræ adde. Ita uero sollicitat me tua mi æger ualetudo, ut paulo post multo plura medicamenta tibi in sequenti capite quàm accuratissime sim descripturus, quæ tuo indies magis magisq; casui forsan conuenire possunt, si diligentiam,

quam

quam instituisti, adhibueris, cito te incolumem fore.

DE CVRATIONE PHLEGmatis ad ægrum uerba Gallicani.

VIde candidissime homo, atq; humanissime uir omniũ morborum molestias, cruciatus, morbos ad suffragia medicinæ confugientes, quibus maximus dolor ex uitio phlegmatis scatens quoquo modo sanatur. At istis suffragijs medicinæ, istis opibus, ista consolatoria totius corporis salute maxima turbamenta sanitatis atq; exitia phlegmatica propelluntur, forasq; projciuntur. Quanta enim ui phlegma, quod ualde inueteratum, corruptum, prauum, maliciosum iudicatur, omne conficit, & consumit corpus. Hoc igitur tu periculum tam magnum, tam graue, tam sęuum, tam uiolentia munitum, tam

in doloribus anxium caue. Vnum aũt eſt illud, quod te diligentiſſime facere uelim, ut ne cum aliqua tarditate, & contumacia medicinam ſumas. Quocunq; te liberatio morbi ducet, ſequare, dum potes, dum licet, medicinam ſume, ad omnia paratus, atq; animatus eſſe debes, quæ ad tuam uitam conſeruandam pertinent, quæ tibi chariſſima eſt, ut ſummo ſemper ſtudio oppreſſam tuam ualetudinem à doloribus tam ſubitis, tamq; anguſtis liberes. Quid illos diuturnos angores commemorem, quibus ſimul per totum caput uehementiſſime es perturbatus? Quamobrẽ hæc iam tui obſequij res eſt, tuæ prudentiæ toto conatu, omniq; animi impetu in ſalutem corporis incumbere, uigila diligentiſſime, aggredere, aggredere ad curationem capitis, ut ardentiſſimo cũ animo recuperandę ualetudini nunq; deſis, ne contingat ſane tibi cum extrema ignauia in hoc morbo uitam finire. Nouiſti enim prudentia

præ=

prædítos homines, qui tantopere corporis amiſſis uiribus nihil petere uiderentur, niſi medicinam, quoniam hoc eſt ſummum bonum, quoniam etiam ad ſalutem pertinet. Hæc ſequi licet, ſi hæc contempſeris, ægritudo conteret te, ſi aſſiduam operam naueris, breuiſſimo tempore ſalutem & incolumitatem tuam aſſequi poteris. Quamobrem ego te nec deſiſto iuuare, nec deſiſtam, & iam maxima in re ſuffragia faciam, & fundamenta iaciam ſalutis tuæ, Tu fac, bono animo lætoq́ ſis, meq́ tibi nullis remedijs defuturum eſſe confidas. Nec enim quiſq́ dubitat pro ſua prudentia, quin pharmaca pro ſanitate habeantur, omnibus modis antidota ægros conſolant. Num tot flores? num ſemina? num radices ſanant morbos? num præterea alia eiuſdem generis? quæ non ſolum perniotioſiſſimos, & crudiſſimos humores concoquunt, & euacuant, uerum etiam quàm plurimos in priſtinum ſtatum ſa-

nitatis reſtituunt, tanta enim uis atq; cruditas phlegmatis perhorreſcenda eſt, & metuenda cum uexationibus ipſis, quæ quum ſunt grauiſſimę, & pleniſſimę teterrimi mali, ſummiq; periculi, tum etiam atrocitate cruciatuum, atq; dolorum. Quare hortor te mi æger purgandum phlegma quàm primum cures, & diligentiſſime matures, quod cauſam periculoſiſſimi morbi agit & parturit, quod ſi facias, & tantam obedientiam adhibeas, tantumq; conatũ ſubeas, quo opus eſt ad propulſandũ phlegma, hoc tuo corpori certe ſaluberrimum eſſe confidas.

QVID DIGERAT PHLEGma *dolore capitis plenum, quod ingenium adhibeatur, quæ ſuffragia purgationum adminiſtrentur, quæ ſternutamenta, lotiones, gargariſationes, ad liberandum dolorem requirantur.*

ETſi quantum ex ſignis, & cauſis iudicare potui, uidebam multiplex phleg

phlegma hanc infirmitatem, quum ad te ijssem, facere, furente iam uehementissimo cruciatu totius capitis, tamen ego communem calamitosissime homo curationem scripturus sum, Obtemperandum tibi putaui, ut tuo languori breui satis facerem. Sed medicamenta complura ægritudini tuæ & idonea, & salutaria quodam modo eligenda sunt ex illis scriptis, quæ paulo post sequuntur. Viscosum enim phlegma habet id, quod aut crudũ sit, aut pernitiosum, Ob eam causam semper quibusdam incidendis potenter medelis utendum tibi omnino esse plurimum suadeo, & quidem id diligenter secundum uarietatem doloris explico in subuenienda necessitate, quum te ad artem, & ad uiam medendi adducerem, & nonnullis in præceptis erudire maxime uellem. Hoc totum mirifice prodesse potest, & declarare licet, quod quũ phlegma peccet, quàm sæpissime tamen sanguine abundat iuuenis, & interdum

magnæ

magnæ & multæ quidem uenæ tument. Illud quidē scio, ꝙ ipsa ægris putat̄ phlebotomia omnium esse saluberrima, maximeq́ necessaria cum summa laude, & cum magna significatione humanæ sanitatis, quum præsertim tribuere quædam in huiusmodi morbo innumerabilia beneficia omnino posset. Nam quod prius ad mouendos humores superfluos attinet, talis pro consuetudine, & doctrina medicorum clyster fieri posset. ℞. maluæ sticados, mercur. florum camo. furfuris ana M. j. bulliant in aqua. ℞. succi blitis ℥. ij. olei communis ℥. iij. hierepi. ℥. ß. cassię ʒ. vj. sachari rubei ℥. j. mellis ros. ℥. j. ß. salis ʒ. iij. uitellos ouorū nu. ij. fiat clyster. Item alius sublimis ꝓ delicatis clyster. ℞. ordei mundi, mercu. blitis furfuris, ana M. ß. bulliant in iusculo pulli. ℞. cassiæ ℥. j. mellis ros. ℥. j. ß. olei communis ℥. iij. salis ʒ. iij. uitellos ouorum nu. ij. Item communis clyster, omni commoditate ac potius sanitate refertis-

fertis-

fertiſſimus fieri ſolet. ℞, ſticados, maluæ, florũ camo. florum Bor. caulium rube. ana M. j. fiat decoctio, de qua accipe ℥. xiij. in qua miſce, caſſiæ, pulueris ſacchari ana ℥. j. hierep. ℥. ß. ſeu elect. de dactilis, ſeu elect. indi tantundem olei communis ℥. iiij. ſalis ʒ. ij. ß. fiat clyſter. Quod ſi uolueris multo magis ꝑ leuem potionem efficere. ℞. caſſiæ ʒ. x. uel mannæ ℥. j. ß. diſſoluantur cum aqua lactis uel aqua decoctionis cicerum rub. uel aqua ſacchari rub. ſeu aqua mellis, ſeu iure pulli, uel facias ſic. ℞. elect. lenitiui ℥. j. diafiniconis ʒ. iij. mellis roſarum ℥. j. aquarum feniculi, betonicæ, melliſſæ ana quantum ſ. fiat potio, quam profecto cum ſingulari prouidentia in aurora aſſume. Sed primum communibus ſuperfluitatibus eductis, phlebotomia, quæ multitudinem humorum uacuat, iuſtis & magnis de cauſis à medicis laudatur. Deinde ſyrupi pernecеſſarij humoribus ad digerendum ſunt, ut
ſtatim

ſtatim ad purgandum præparetur crudi tas, & ad expellendum aptetur. Quum porro aliquantulum antea, tum celeriter hoc difficillimo in caſu tota ægritudinis humiditas expulſioni patebit, quæ ſi aliquam cruditatem haberet, tam eſſet dige renda, quàm curanda. Maximum tandem ægris auxilium in ſolutiuo pharma co eſt, quaſi certioris cuiusdam ſanitatis, quod eſt humani corporis præſentiſſimum, idq; unum præter cætera ſoſpitat, & iuuat maiorem in modum, quod ſi tu fortè probaſti, puto me hoc, quod ſuadeo, ſuadere utilius. Ea eſt enim utilitate, & commoditate, ut id tibi iam ipſum p ſe notum putem. Quod tamen ſi ita eſt, tantopere à te quæſo, ut poſt eam purgationem ſternutamenta non floccipendas, quibus ſi ob morbi reliquias palam meo conſilio morem gerens audacter uteris, quàm maximus po ſtea ad ſternutamenta uigor ſanitatis accedet. Sin propter uehementiam ſuam

mi

minus ſe placida tibi obtulerunt, aut ea nondum ſatis habes experta, aut nonnulla cauſa eſt, quod illorum omnem uſum abhorreas, igitur gargariſationes ſic tibi conſulo, ut neq; maiore utilitate quicquã neq; iuſtioribus de cauſis conſulere poſſim, ſcribamq; ea ſuffragia, quæ debent ſcribere ij, qui erudite, & ſine inuidia, ſine ambitione, ſine dolo conſulunt. Pollicebor enim tibi, uel potius polliceor, & propter te meditor ea ſanitatis conſilia, eamq; cum induſtriam, tum etiam medicinam, ut te & à truculenta ægritudine, & tam ab intolerabilibus doloribus liberatum ſis uiſurus, tibi certe ſaluberrima conſilia ſunt data. Sanguinis minutione, ſi opus fuiſſet, tam eſſes uſus, quàm propria medicina, quod erit certius, ſi tu propter tantam peccantis materiæ multitudinem tale exordium feceris. ℞. liquiriciæ paſſularum, ana ℥. iij. ſebeſten nu. v. uiolarum ſiccarum M. ß. bulliant in aqua melliſſæ, bugloſſæ, q. ſ. uſq; ad con-

ueni-

uenientem, & iustam consumptionem, ℞.istius decoctionis ℥.iij.agarici trociscati ℈.ij.turbit ℈.j.sinsiberis ℈.ß.spicenar.grana iiij. stent in infusione per horas x.& colatura facta, id addat.℞. elect. de sebesten ʒ.iij.cassiæ ʒ.vj. mellis rosacei ℥.j.misce, tu aũt nonnunquam dosim, si opus erit, aut secundum robur, & constantiam uirtutis, aut ætatem augere, ac diminuere poteris. Sic hoc tantum consi derabis, quantum necesse expertus credes, quod semper quidem spica in febribus phlegmaticis est ualde bona, fœlicissimam autem & singularem operationem agarici, & turbit efficit, uel si malles pilulas. ℞. pilularum de ihera cum agari co ʒ.j.uel ℈.iiij. formentur pilulæ cum aqua mellissæ, postea uero eam satis dimi nutam materiam, quæ quidem remansit, digerendam ualde studiose procures. ℞.mellis rosacei oximellis squillitici descriptione democriti ana ℥.j.ß.aquarum betonicæ, feniculi, sambuci, florum ana

℥.ij.

℥.ij. p duabus uicibus misce. Quod si aliquo pacto eum clarificare placet, sic concinnetur cum nuce muscata. Iucundissimus similiter atque efficacissimus alius syrupus adest. ℞. Syropi de duabus radicibus cum aceto ℥. ß. oximellis squillitici, mellis rosacei ana ℥.ß. aquarum saluiæ, feniculi, absinthij ana ℥.j. pro una uice misce, uel gratissimum tibi syrupum sic facias. ℞. oximellis simplicis, syropi de sticados ana ʒ.vj. aquarum mellissæ, feniculi, hissopi ana ℥.j. misce, & de quo assumes, quàm diu uoles, tam diu autem licebit, quoad concocta materia tibi esse uideatur. Sed id interim enema naturæ hominis aptissimum aliquoties imponetur. ℞. foliorum blitis, maluæ, mercurialis, furfuris, ana M.j. carthami, polipodij ana M.ß. bulliant. ℞. cassię hieræ ana ʒ.vj. mellis rosacei ℥.ij. sacchari rubei ℥.j. olei cõmunis ℥.iij. salis ʒ.iij. uitellos ouorũ nu.ij. fiat enema. Neque uero cuiquam salutem, & uitam suam tantæ

curæ fuiſſe unq̃ puto,quantæ tibi ſit ſa-
nitas corporis,in qua omnia mea ſtudia
meditata eſſe decreui.Huic adeo artifici-
oſam cum ſingulari præſidio decoctio-
nem ſcribo,ex qua propediem te uideo
capturum gratiſſimam ſanitatem,ſi liben
ter ea uolueris uti,℞.calamenti, betoni-
cæ,hyſſopi,cuſcutæ,maioranæ,roriſma-
rini,florum ſambuci,thimi, cordumeni,
leuiſtici, ſticados ana M.ß . paſſularum
℥.j.radicum peoniæ ʒ.iij. rad.apij feni
culi ana ʒ.vj.fiat decoctio ſecundum ar
tem,in qua prope finem peoniæ ʒ.j. nu-
cis muſcatæ ʒ.ij. bulliant alligatæ in tela
rara.Deinde addantur ſyrupi de ſtica-
dos oximellis ſimplicis ana ℥.ij.miſce,
& dentur prouna uice ℥.iiij.uel v.Di-
geſta autem materia plane lubens ego
excellentiſſimas purgãdi humoris phleg
matici pilulas deſcripſi, ſummaq; opera
paraui,quòd tu ſic conualeſceres, ut ar-
bitrer ,ne omnino tibi recuperata pro-
pediem hæc incolumitas deeſſet,℞. pilu
larum

larum cochiarum, pilularum de sarco-
colla ana ℥.ß.diag.iiij.fiant pilulæ cum
aqua betonicæ. Si fortius autem uis ua-
cuare phlegma. ℞. pilularum cochia-
rum ℥.j.euforbij lucidi grana iij. masti-
cis spicæ ana gra. j. fiant pilulæ cum
aqua hysopi uel cum syropo de sticа-
dos. Vel facias sic.℞.pilularum cochia-
rum ℥.j. uel ℈.iij.ß.agarici præparati
grana iiij.uel trociscorum halandal gra-
na iij.formentur pilulæ.Si te uero potio
uehementer delectat, tu cura & cogita,
quòd eam habeas,quam tibi scio saluber
rimam esse,quæ tanto tibi leuamine opi
tulabitur, ut maiore nihil possit, quæ
quum propter tot, & tantas uirtutes,
tum etiam propter suffragia communia
est sanitati amicissima.℞.florum buglos
sæ boraginis mellissæ ana p.j. sticados
maioranæ,cuscutæ,ana M.ß.chimi ℥.ij.
liquiriciæ ℥.ij.ß.passularum ℥.ß. & fiat
decoctio secundum artem,cuius accipe.
℥.iiij.cassiæ ℥.j.elect.indi ℥.iij. sirupi de

 stica

ſticados ʒ.v.& fiat potio. Aliam potionem tibi magno, & ſublimi experimento inuentam trado, & ut ſempiternæ ſaluti tibi ſit iſta medicina exopto. ℞. turbit albi & abraſi ʒ.ij. ſinſiberis ʒ.j. agarici præparati ʒ.j. infundantur in quatuor prædictæ decoctionis uncijs per horas decem, & facta expreſſione addantur ſyrupi de ſticados ʒ.v. Quod ſi pro tua prudentia boli delectabilem formam fieri tibi cuperes, recte hæc ipſa medicina longe ſaluberrima eſt capitis humani, & ſublimis, & uerax, & plena ſanitatis, & præcipua plane adiutrix, & quum uirtutibus, tum etiam proprietate ſi quid hoc ad ueritatem pertinet, munita. Conſolatrix autem eſt capitis familiariſſima, ſic prorſus, ut nihil noſtri corporis adiutet promptius, Quare ut & ueram hominum ſoſpitatricem, & in tuo adiutricem dolore tibi maiorem in modum commendo, quæ uiſcoſo phlegmati quibuscunq; modis ſe commodauerit, ſuppetias ſem

as ſemper tuis doloribus gratiſſimas faci
et. ℞. elec. indi. ʒ. ß. uel diafiniconis ʒ.
v. pulueris ſticados, ſeminis peoniæ añ.
℈. j. Sacchari q. ſ. & bolus deaura-
tus fiat. Quod ſi autem tibi placet
medicina in forma pulueris. uir optime,
mihiq́; chariſſime fautor. ℞. turbit electi
℈. iiij. ſinſiberis ʒ. ß. ſeminis peoniæ, ſti
cados añ. ℈. j. ſacchari ad pondus omni
um, & fiat puluis, quem cum iuſculo ca-
ponis, uel pulli, uel gallinæ, uel aqua la-
ctis, uel calido uino quidem, ut accura-
tiſſime ſumas, à te etiam atq; etiam peto.
Quum enim nõ tam concoctionum, q̃
purgationũ conuenientiſſima phlegma
ticis humoribus remedia in pluribus lo-
cis conſcripſi, multis eorũ adminiculis,
ſumisq́; uirtutibus cõprobata, teq́; hor-
tor, ut obſequioſus in omni re ſis, & pro
tua prudentia te moderere. Nũc ne quic
quã obliuiſcaris, nemo eſt, qui ſapientius
tibi conſulere poſſit ipſo medico, nun-
quid aliud docere liceat poſt eductã &

digeſtam materiam. Quare uolo te, quũ prudentiſſimus uir cognitus ſis, etiam obedientiſſimum exiſtimari. Si ulla humorum, atq; reliquiarum ueſtigia ſuperſint, tuam ſanitatem curabis diligenter. Sed hoc totum fundamentum, ſumma ualetudine ſtabilitum, munitum perpetuo uigore, ſumma proprietate ualidiſſimum, & ſingulare per ipſas purgationes narium, per gargariſationes, per ſternutamenta, per maſticationes fieri poteſt. Quantum uero ad purgationes narium attinet, his tu frui atq; uti poſſis, quæ ſuperiore deſcripta ſunt documento. Si efficacius medicamen uolueris tibi facere, nec uano, nec ficto experimento, ſic & laudatiſſima & una omnium uoce proderit ſuccus foliorum enulę campanę tractus per nares, aut ſuccus etiam yreos te ſane fœliciter iuuabit. Quid tibi ſuffragij ſuccus caulium impertietur cum lacte mulieris, quid te cum aqua ſanſuci ſuccus cucumeris aſinini conſola

bitur

bitur, etiam illud tibi mirifice conueniens consulo, quod omnis sanitatis tuæ commune erit. ℞. succi radi. blitis ℥.j.ß. mirræ electæ grana iiij. & misce. Si idem profecto fortius uelles, ℞. succi ruthæ depurati, succi acori depurati, ana ℥.ij. mirræ grana iij. & misce. Idem uehementer capitis morbo conducere suspicor, quod si in ipsis naribus aut pruritus, aut ardor superstes sentitur, tu fac ob eam causam ut persæpe nares cum aqua calida lauentur, aut oleum uiolaceum per nares attrahatur diligenter. Primum nigella ob eas causas, quas nouisti, Deinde, quod mirabiliter hoc in casu opitulatur, & laudatur, quæ quidem non modo per diem, sed etiam per noctem in acerrimo aceto permaneat. Postea quum exiccetur, tum conteratur, ut bona & suauis, & efficax medicina aut per nares cum aqua sansuci, aut cum eius decoctione attrahatur. Hoc enim publico suffragio est probatissimum, Nonnulli autem lo-

co nigellæ, fibro, ſeu caſtoreo, ut aiunt, quàm ſæpiſſime utuntur. Vel facias ſic, ℞. lactis mulieris ℥. j. ellebori nigri in puluerem redacti ʒ. j. & miſce, & fiat iniectio intra nares. Pluribus enim fortaſſe rebus, quàm neceſſe fuit, ab alijs quidem medicamenta ſcripta ſunt. Sed hęc ego tacitus nullo ſilētio pręterire potui, quin tibi ea declararem, quæ noſtri maiores ſuo ſtudio, conſilio, opera, fidelitate, conati præſtare omnibus ægris ſunt. Quare tibi medicinam eorum laudo, & memoriæ trado. Iam tibi id affirmo, te non in iſtis moleſtijs eſſe diutius futurum. Illi ſumma & uirtute, & proprietate & ſingulari contra morbum efficacia, & aſſidua, & perpetua ſanitatis cura quum hierampigram, tum benedictam tum auream alexandrinam cum aqua ſanſuci diſſoluunt. Sed multi quidem purgationes narium propter ſanitatem, & auxilia malunt ex ſucco ruthæ, quàm ex alijs, eſſe uſitata, ſaltem quod

aliquid

aliquid mirræ, aut castorei cum eo commiſceant, Aut ſi ueriſſima ſpe illud te delectat, modicum de felle anſeris cum lacte mulieris uelim tibi commiſceas, & idem facias. Illa uero ſingula, quæ hic ſcripta ſunt, nares conuenientiſſime copioſiſſimeq́ purgant, magnamq́ quũ ex uſu eorum, ſingulariq́ ſtudio, tum ex uirtute, & proprietate ſanitatem capies, te autem tantopere hortor, ut omni cura in ſternutamenta incumbas. Hoc eſt cõſilij mei, hoc eſt ſalubritatis humanæ, quã habere debes manẽtis uitę tuę. ℞. aut piperis aut piretri, aut caſtorei, aut ellebori, aut eiuſmodi in puluerem redacti ℈. ß. ſeu ℈. ij. ſeu ʒ. j. & magno uſui conueniens tibi fiat iniectio ad nares. Sed uideo quòd alij de utiliſſima hac re plura remedia ſcripſerunt, quibus ægri maxime ſanantur, at commodam tibi facias, ut poſſis diligentiſſime gargariſationem. ℞. ſynapis ℥. ij. ſtafiſagrię nigellæ ana ℥. ß. piperis nigri ʒ. ij. primum om-

nia simul misceantur, deinde crasso modo ad puluerem redigantur, demum in acerrimo aceto coquantur, & fiat gargarisatio, uel ℞. hysopi M.j. thimi, saluiæ ana M.ß. passularum, corticum capparorum ana ℥.ß. sinapis ʒ.ß. conquassentur, & fiat decoctio de qua accipe ℥.iiij. oximellis squillitici ℥.ij. sic misceantur, atq; fac gargarisationem uacuo stomacho. In hac tibi optima decoctione addere conquassatum piretrum, aut piper audacter pores, quam tuo casui intelliges esse utilissimam. Masticatio autem ualetudini tuæ gratissima erit, optima medicina, & consilio dignissima, eam tibi penitus commendo, atq; trado. ℞. masticis ʒ.j. granorum piperis nigri ℈.ij. cubebarum ℈.j. corticum capparorum ℈.ß. uel id optimum esse persuasum tibi uelim ℞. macis ʒ.j. piretri ℈.ij. stafisagriæ, corticum radicum capparorum cubebarum ana ʒ.ß. Hæc enim omnia simul conquassentur, ex quibus rebus saccu-

lus

lus de tela rara factus impleatur, quem potissimum stomacho uacuo tam diu dentibus conteras, quàm diu tua necessitas postulat. Id quidem, quod profluit in ore, & natat, diligenter etiam atque etiam expue, uel si hoc magis sit placabile, ℞. piperis nigri stafisagrię ʒ.j. passularum enucleatarum ʒ.ij. misce. & simul, ut supra scripsi, omnia dentibus terantur. Consilia mi æger tibi habes uehementer tui doloris necessaria, humanæ incolumitatis familiarissima cuiuslibet phlegmatis optima medicamina, quæ quum phlegma ipsum propter molestiam, anxietatem, cruciatum, & atrocem perturbationem de capite mirifice purgant, tum materiam furibundam illam minuere solent, quæ incredibilem dolorem capitis in re & molestissimum efficit, & auget. Sed ut redeam ad ea remedia, quæ superioribus locis scripta sunt, Illud potissimũ quidem ægris gratum erit, quod cum frictionibus, ligaturis, cu

cur-

curbitis, atq; similibus rebus, quæ sunt singularis emolumenti, utilissimum fiat, Nam si tu remedijs supra scriptis studiose usus fueris, deinceps maximum cumulum futuræ incolumitatis tuæ addam, ac summam corroborationem capitis, incredibilem sedationem doloris, non uulgarem malæ complexionis expulsionem literis mandabo. De ijs certior fias in sequenti documento, quæ tibi tum ipsa scientia, tum etiam fidelitate, experientiaq; satisfacient.

QVAE DEBILISSIMVM CAput *medicinæ recreent, quæq; dolorem indißimulabilem uehementißime sedent, qualis ex uiciosißimi causa phlegmatis contingit, aut item frigidam complexionem, & malam non modo subtiliter, sed etiam efficaciter corrigant, si qua tã peruerse & tam tetre peccauerit, aut derelicta fuerit, aut accuratißimum regimen de quadam præsertim abstinentia, & de sex rebus non naturalibus maximi constituatur ad sanitatem auxilij.*

Quum

QVum his caput medicamentis corroborari debeat, quæ hunc admirabilem, ac ſuperuacaneum dolorem amouerent, atq; frigidam complexionem, & malam depellerent, Si qua aut ſuperſtes aut derelicta eſſet, eam ex ſignis certis cognoſcendam eſſe arbitror, ita eſt conſilium non modo prudens, uerum etiam, quod cogitaui, curioſe deſcribendum. Quapropter nihil ex omnibus rebus ſane ages ad tutandam uitam accommodatius, nullum tibi præſidium, & ad ſalubritatem erit aptius, & ad recuperandum uigorem prouidentius, quàm non obliuiſci antea purgare materiam. Sic tandem ſacculos, unctiones, epithimata, cathaplaſmata, emplaſtra, & id quidem genus accurate facias, quorum copioſiſſimum recentiores modum non ſub puris, ac terſis uocabulis latinæ linguæ docent, atq; deſcribunt. Nam quod documentum ad ſacculos pertinet, id quoddam recondi-

tum medicamen habet, quod tibi commodabit, tuo dolori subueniet, tuum salubriter caput calefaciet, tuam ægritudinem consumet, à cruciatu te liberabit, discuciet uentositatem, morbum deniq; propellet. Quid enim tu ipsemet id expertum habes quod propter experientiam manifestam opem fert, Itaq; minutum, & tritum salem accipe & dumtaxat, sicut tua prudentia postulat, congruum cum millio sacculum diligenter imple, cupio ut eum tonso capiti calidum superponas, quem confestim iterum calidum remoueas, quamprimum incipiat frigidus fieri. Secundus sacculus optimus, & omnibus rebus sanis refertissimus, abundantissime laudatur, mirificeq; dolorem capitis phlegmaticum sedat, quum propter maximam efficaciam, maximamq; uirtutem, tum propter singularem proprietatem. ℞. florum camomillæ, maioranæ sticados, foliorum lauri, pulegij, calamenti, ana M. ß. corticum

citri

citri ʒ.ß.cimini , gari.cubeb .maio.nucis muſca.ana ʒ.j.ſpicæ ʒ.ß . florum anthos ʒ.ij.galangę ʒ.iij. hæc craſſo modo contundantur,& in ſacculum ex ſerico factum ponantur . Tertius eſt ſacculus,℞.florum camomillæ,roſarum, mellilori,betonicæ ana M.ij.ſpicæ romanæ manipulum unum ſticados M.j. & fiat ſacculus.Quartus eſt,℞. roſarum M.ij. camomillæ M.j. ſticados M.j. galliæ muſcatæ ʒ.ij. paululum contundantur, & ſimul miſceantur,& fiat ſacculus, qui dies ac noctes ſuper caput teneri poteſt, in tempore frigido, ſed in calido partius uſurpatur .Quintus eſt,℞. maioranę ſticados ,florum camomillæ, roſarum M.j.ß.gari. nucis muſca.añ. ʒ.ß.cubeb. ʒ.ij.corticum citri ʒ.iij. cinamomi ʒ.ß. primum craſſo modo terantur , deinde ponantur in ſacculũ . Sextus ꝑ lixiuio ℞.ſticados arabici maioranæ foliorum lauri aſſari ana M.ß.florum camomillæ, mellíloti , roſarum , ſpicæ romanæ, ana quar-

quartam partem unius manipuli, fiat ſacculus, & bulliat in lixiuio. Septimus, ℞. camomillæ, maioranæ, ſticados, baccarum lauri ana M.j. foliorum ſenæ aſſari, ana M.ß. contundantur aliquantulum & fiat ſacculus ad lixiuium. Octauus, ℞. maioranæ, ſticados, camomillæ, aſſari, foliorum lauri, roſarum ambarum calamenti ana M.ß. corticum citri ʒ.ij. terantur, & fiat ſacculus, & bulliat in lixiuio. Nonus, ſummo atq; excellenti uigore tum capitis, tum cerebri debilitati plane ſatisfacit. ℞. florum camomillæ, betonicæ, uerbenæ, maioranæ, abſinthij, roſarum rubearum, ſticados, roriſmarini ana quartam partem unius manipuli ſandaracæ ℥.ß. foliorum ſenæ granorum tinctorum ana ʒ.ß. ligni aloes ℈.ij. Si uero adderetur ambræ ʒ.j. ſane aut multo efficacius, aut multo melius eſſet, conquaſſentur, & fiat ex ſindone ad formam bireti, ut uulgo dicitur, ſacculus, quem cũ omni conſtantia per aliquod interual-

lum

lum temporis in capite diligentiſſime feras, qui quidem totum ſanitatis perfugium habet, ſummamq́; experientiam, & bonitatem affert. Decimus, ℞. camomillæ, maioranæ, ſticados calamenti ana M. j. ſtercoris columbini, ſinapis ana ℥.vj. laudani, olibani ana ℥.j. baccarum lauri ℥.j.ß. nucis muſcatæ, galliæ muſcatæ, gari. ana ℈.ij. contundantur aliquantulum & in ſacculum ponantur. Scire autem te uolo quòd quidem ille ſacculus magis præmiſſa purgatione ad conſumendam & prohibendam materiam ualet, ne fluat uel ad pectus, uel ad pulmonem, uel ad alia membra. Vel facias ſic, ℞. baccarum lauri, olibani, ſandaracæ partes æquales, atq; ex his ſacculum tibi maiorem in modum ſalubrem reple, quem, magnopere à te peto, ſuper candentem laterem aſperſum aceto operam des calefacere, protinus, ut ſupra docui, capiti appone. Sunt enim ex medicis, qui ita perſuaſum ſibi uelint, ut illorum

rum præſcriptorum loco ex granis ſinapis cum ſemine naſturtij ualde gratum ſacculum conarentur refercire, quo ſemper calefacto ad priorem modum accuratiſſime utuntur & ſimilem ſacculum prudentiſſime faciunt & formant ex pulegio, camomilla, betonica, abſinthio, hyſopo, brancha urſina, & quàm ſæpiſſime ſanſuco, rebusq́ aromaticis, & floribus odorum ſemper ameniſſimis, tum ſummis roboribus, aut ſempiternis uirtutum proprietatibus, tum propter debilitatem capitis, cerebriq́ cinamomo & cubebis cum his medicinis, quæ funditus morbum tollunt, Nunc uero optima, & plurima remedia aut conſolandi aut iuuandi tui cauſſa paro, quæ tibi & parem & ſimilem ſaccolorũ uirtutem dabunt. Talia præſertim ſine moleſtia per integram horam, uel aliquanto diutius commode continuari debent, hæ non modo decoctiones, quas lætiſſimo & maximo animo capere deberes, conſolatri-

latrices doloris sunt, sed etiam; quod profecto multis compertum est, doctis præsertim medicis, ualde utiles. Est enim in eis summa spes, summa consolatio, summa aduersus morbum uirtus, & potestas, doloremque præ ceteris & opprimunt & propellunt, & extirpant, non eas modo tuorum languorum, uerum etiam penè omnium cruciatuum tu expultrices cognosces, cum his ego tantummodo ualetudinem tuam in perpetuam liberationem suspicor, & innuo esse futuram, per te ipsum, quæ tua industria est, sospitatrices & in morbo, & in dolore tuo iudicabis. Peto igitur à te, ut his persuasionibus meis recipias eas super caput doloris tui, non differas causa sanitatis, & procrastines omnia te facturum, Quas enim decoctiones fecimus, eas prudentissimo cuique maxime probatas esse uolumus, quas tibi iubeas parare quam primum. Quarũ prima est, quæ contra intolerabilem, & desperatũ dolorẽ ca-

pitis ab ipſo experimento expertiſſima dicitur. ℞. caſtoreum, grana iuniperi, arthemiſiam, & coquantur in acerrimo aceto, & des operam, ut iuſta cum caliditate lauetur caput, & ſimul circumligetur cum panno madefacto in eodem aceto, & hoc potiſſimum circa introitum lecti fiat, hoc tibi magis ſalutare facere nihil potes. Altera eſt, quam laudamus ex tanta magnitudine commodorum, ℞. abſinthij, uerbenæ, ſerpilli, abrothani, celidoniæ, origani, iuniperi, baſiliconis, maioranę partes æquales fiat decoctio, cum qua calida caput non modo laua, ſed etiam cum panno lineo inuolue. Tertia. ℞. florum camomillæ, maioranæ, ſticados, foliorum lauri, foliorum ſenę, pulegij, calamenti añ. M. ß. coquantur in lixiuio. Vnctiones autem diligentiſſime ſcripſi, in quibus iucundiſſimum ſuffragium ualetudini tuæ erit, & quas calidis ex oleis propter miram uirtutem caput iuuare ſenties, & uidebis, quæ quidem

dem olea prçcipua sunt, ut anetinũ, camo millinum, costinũ, yrinum, aut de spica, aut de lilio, aut de consimilibus: aut tali potius compositione utaris. ℞. pulueris costi, spicæ, celticæ, castorei, myrtillorũ ana ʒ. j. olei de costo ℥. ij. modicum ceræ, & fiat unguentum. Vel si illud quidem tibi nõ displiceat. ℞. mirrhæ, costi, castorei partes æquales, olei rosacei quantum sufficit. Vel hoc pacto facias. ℞, olei yrini, aut de lilio ℥. ij. olei anetini ℥. j. pulueris radicum yreos ℥. ij. castorei ℥. j. foliorum ruthæ siccæ, baccarum lauri ana ʒ. j. modicũ ceræ, & fiat unguentum, quo caput, & tempora ungantur. Aut uere id tibi suadeo cum exoptatissima consolatione & maxima ope unum unguentum ad sanandum dolorem capitis expertum. ℞. hyssopi M. j. ruthę M. ij. absinthij M. iij. ebuli M. v. hoc perbelle contunde, & percola per pannum nouum, & fortem, tandem recipe olei communis ℥. j. adipis gallinæ ℥. ij. adipis anseris

ſeris ℥.iij ß.& cũ butyro maicali, ſimul hæc omnia coque, & fac unguentum, quo utaris in balneo. Nunc tibi conſulo coſtum in puluerem redigere, quem pro induſtria tua ad leuandum dolorem cum ſucco ruthæ miſce, eumq́ȝ ſaniſſimum appone fronti, temporibusq́ȝ probatiſſimum applica, nec non ex mitridato cum mente ſucco congruum epithima quàm diligentiſſime confice, aut quod cum ſucco calamenti uiciſſim nepite mixto aut ex ſolo ſucco apij, aut ex ſucco ſauinę alioquin commodiſſimum epithima cum quibusdam copioſiſſimis adminiculis adorna, quo cum parato animo, magnoq́ȝ utere calido in actu, uel ſi lubet, hoc facias epithima, quod remedium omnibus ſuffragijs probatum in uetuſtiſſimis doloribus eſt. ℞. ſucci ruthæ, mentę, olei laurini, uini albi partes æquales, ſinapis partem mediam, nonnihil croci, & fiat epithima. Aut hoc epithimate tutiſſime utere, quod ægris incredi

credibiliter ad calefaciendum caput cõ-
mendatur, Accipe cinerem capillorum
hominis, & modicum laudani adde suc
co ruthæ, aut betonicæ, & fiat epithima.
Vel facias sic, ℞. maioranæ camomillæ,
sticados, rosarum ana p.j. corticum citri.
gari, cina. nucis muscatæ, ana ℈.ij. redi
gantur in puluerem, & conficiantur cũ
melle, & aceto in modum epithimatis.
Aliud epithima sublime est, & laudatur
ab ægris diligenter, & sumitur diligentis
sime. ℞. fimi columbini ʒ.j.ß. leucopipe
ris ʒ.ij. euforbij ʒ.iij.ß. croci ʒ.j. fecis o-
lei de croco ʒ.j.ß. aggregentur omnia
cum aceto acri multæ fortitudinis, & fac
pastillos cum aceto, & succo absinthij,
& oleo nardino misce, & utere. Com-
plures autem aqua ardenti, quam ad fir-
mam sanitatem pertinere arbitrati sunt,
cum summo studio diligentiaq; utun-
tur. Quoniam copiosissimum in hoc ca-
su, tutissimumq; auxilium affert, eam ali-
quando aquam in ore per longum tem-

pus tenent, & æque odorant, qua pro commodissimo, & domestico epithimate utimur sæpius. Embrocham tibi commendo maiorem in modum, quæ huic ægritudini maximum adiumentum affert. ℞. sticados, betonicæ, camomillæ, foliorum lauri, lauendulæ, absinthij, succi ruthæ, pulegij partes æquales, bulliant in aqua, & olei communis sexta parte adiecta, & fiat capitis embrocha. Sunt qui radices cucumeris asinini coquunt in aqua, & oleo, & conficiunt capitis embrocham. Illa autem est saluberrima embrocha, quam ægri in dies singulos, magis magisq́ approbant, & fit præsertim ex camomilla, maluis, folijs lauri, sauina, origano, melliloto, sansuco, hyssopo, & ijs quæ sunt de eodem genere. Semper da opam, mi æger, ut ualetudinis extrema perficias. Hoc fortissimi auxilij cathaplasma erit. ℞. seminis arthimisiæ, sinapis, baccarum lauri partes æquales conterantur bene in mortario, fiat cũ uitel-

uitellis ouorum , & melle cataplaſma, quod ſuper caput per noctem atq; diem ponatur. Nunc ad optatiſſima emplaſtra uenio,inter quæ illud tibi laudatiſſimum experiri poteris,℞.baccarum lauri,origani ana ℥.j.fiat puluis,qui cum folijs betonicæ accuratiſſime , aut cum ſucco eius conficiatur, ex quo emplaſtrum adornetur,Si autem hoc cordi tibi ſumme eſſet,℞.farinæ ordeacæ,q.ſ.& fiat cum butyro Maiacali emplaſtrum. Vel ſi hoc ſuauiſſimo emplaſtro uaces, compendij nihil negligas,℞.cimini modicum torrefacti ℥.iij. fermenti quinq; dierum ad minus ℥.ij. uitellos ouorum numero quatuor,olei laurini ℥.j.ß. pulueris granorum ordei ʒ.vj. pulueris enuclę ſiccę ℥.j.ß. fiat ex his omnibus emplaſtrum cum decoctione cimini prędicti.Aliud omnibus proſperis ualetudinis ſucceſſibus refertiſſimum tibi deſcribo,℞.olibani maſticis ana ℥.ij.ſang. dra.bo.ar.ana ℥.ß.iſta omnia diſſoluan-

tur, & incorporentur cum ſucco urticæ grecæ, aut ſimul cum eadem contuſa, ſicut ſupra docui, formetur emplaſtrum. Vel id probatiſſimum quidem atq; optimum facias, ℞. brancæ urſinæ, centaureæ minoris, betonicæ, urticæ partes æquales, coquantur cum tribus uini partibus, & olei anetini quinta parte, & conficiatur emplaſtrum, uel idem ſublime, & expertum fieri poſſit, ℞. foliorum lauri, corticum citri, ſticados calamenti, ſinapis, ſtercoris columbini ana ℥.ß. laudani ℥.ß. nucis muſ. gari. cina. ana ʒ.j. olei de ſpica ℥.ij galliæ muſcatæ ℥.ß. aceti ℥.ß. & fiat emplaſtrum, quo nihil tibi poterit eſſe ſalubrius, uel profecto illud efficax, & ſanum facias, ℞. florum camomillæ, calamenti, foliorum lauri, maioranæ, ſticados ana M.ß. ſtercoris columbini, ſinapis ana ℥.ß. laudani ℥.ß. mellis parum, fiat emplaſtrū. Maxima ſunt nonnulli experientia præditi, qui quum fabas aut decoctas, aut piſtas cum decocto

cto iam allio commisceant, & forment emplastrum, quamprimum autem dolor fuerit acerbus, importunus, uehemens, ut nonnunquam solet intolerabilis cruciatus plerisque accedere, quibusdam igitur supra scriptis emplastris parum addere opij licet, quod persæpe multi fecerunt, quibus quum semper prosper successus arrisit, & fauit ex maxima Dei immortalis gratia, & ope. Grata enim tibi uehementer odoramenta erunt, ex quibus cognosces magnum uigorem sanitatis tuæ, Corroborant enim substantiam totius cerebri, quo nihil nobilius est. Quod reliquum est quum etiam maxima confectionum suffragia, redolentium magnificentiam pomorum, smigmatis sublimitatem, puluerum opem, commoditatem, uigorem, instrumenta præstantissimorum medicamentorum tibi capienda esse consulo, quæ totam hominis uitam, rationemque, quam ad sanitatem esse decet, fortiter excellenterque

leuant.

leuant.Primo puluerem ſcribimus, qui radicitus ſalubris eſus,& conueniens capitis debilitati maxime cernitur,℞. ſinſiberis albi ℥.j.nucis muſcatæ, macis cubebarum ana ʒ.j.ß. gariophilorum, interioris cina.electi,florum cinamomi añ. ʒ.ß.ligni aloes ℈.j.coriandri præparati ʒ.j.ß.fiat puluis,Si eo uis aut in potu aut in ferculis uti, adde croci ʒ.j.ß.Si autem cum pane,aut ouo ſorbili,adde panis ſacchari aliquot ʒ.Aut alium puluerem ualetudini tuæ facias,℞. ſpecierum dyambrę,dyamuſci dulcis ana ʒ.j. ligni aloes ℈.j.ſimul miſceantur,& qui ſpargatur puluis ſuper caput,deinde moueatur pectine. Item recipe macis ʒ.j.fiat puluis ſubtilis.Ad idem ſmigma odoriferum,℞.ſpicenar.yreos aleandrini ana ʒ.ij.ß.roriſmarini florum palmæ ʒ.j.ß. ſquinanti ʒ.j. ℈.ß.aliptæ muſcatæ, galliæ muſcatæ ana ʒ.j.ß.ſmigmatis electi lib.ß.incorporentur cum ſucco lauendulæ,& in fine addantur nonnulla gra-

na musci, & fiat smigma odoriferum. Quod si potius quàm utilissimum & quod gratissimum smigma uelles ad lixiuium, ℞.smigmatis gallici ℥.iiij.laudani storacis calamitę ana ʒ.ij.rad. yreos gari. cina. calami aromati. ana ʒ.j.spicenar. ℈.ij.musci gra.ij.incorporentur calido pistillo, & fiat smigma aromaticum. Ad idem ℞.yreos, gari. cina. macis anisi ana ʒ.ß. laudani ʒ.j.musci modicum, smigmatis boni,uel græci ℥.iiij.incorporentur calido pistillo.Item in forma bene olentium pomorum,medicina omnibus auxilijs ornatissima creditur,℞. laudani,storacis calamitę ana ʒ. j.ß. ligni aloes rosarum ana ʒ.j. olibani ʒ.ij.ambræ ℈.ß.spicenar. nucis muscatæ,squinanti, cinamomi ana ʒ.ß. conficiantur cum aqua rosarum,& fiat pomum paruum.Illud quoque maxime uerisimile est, quod summam, & unicam uirtutem, quodque firmissimum,& suauissimum robur in debilitate cerebri parit, ℞. ligni aloes

aloes,ſpicenardi,nigellæ,ſtoracis calami tę,mirræ,gari. olibani,maſticis, peoniæ nucis muſcatæ ana ℥.ß.muſci gra.j. laudani q.ſ.& fiat pomum. Vel propter maximam,ac penè diuinam opem incolumitatis ſic facias, ℞. macis galangę, corticum citri ana ʒ.ß. foliorum ozimi ſiccorum ʒ.j. muſci,ambræ ana gra. ij.croci gra.iij.& fiat puluis,atq; in optima ſindone ligetur, quem quidem pro tua ſingulari prudentia ſæpe odorabis. Quod ſi potius tu medicinam in forma confectionum uelles, hoc excellentiſſimo remedio poſt cœnam ante introitum lecti ualde diligenter utere, ℞. ſpecierum dyambrę,dyamuſci dulcis ana ʒ. j.ß.ligni aloes,folij,maioranæ ſiccæ, betonicæ, pulegij ana ℈.ij.ſinſiberis conditi lib.ß.ſacchari aliquantulum, & fiat electuarium, Ad idem ℞.ſpecierum dyamuſci,dyanthos ana ʒ.ij. ſpecierum dyambræ ʒ.j.ß. pliris arcoticon ʒ.j. ſacchari quantum ſufficit,& fiat confectio

cum aqua rosarum in pastillis. Sed de his hactenus. Circumspicio omnia consilia sanitatis, quæ gratissima sunt ægris. Nunc te uolo omnem laborem, omnem operam, curam, studium, in quotidiana conuenientia uictus consumere, Nam quum te semper maxime iuuit, tũ gratas suppetias dedit, quas æque, ac sanitatem summa consolatione complectere, singularis enim abstinentia & assidua temperantia nullũ patitur errorem apud ægros, corporisq; molestiam, aut perturbationem euenire. Sed quid profuerit, quid fecerit, ex medicorum te scriptis, quàm ex meis malo cognoscere. Quid autem speres, aut confidas, & exploratum habeas de sanitate tua, id profecto tibi in regimine uictus experiri licebit. His enim in sex rebus non naturalibus tantopere suadeo tibi regimen obseruare, quum ut scriptum est præclare à medicis, sint manducandæ tibi carnes uitulorum, & fasianorum, & perdicum,

& ru-

& ruralium auium, & gallinarum iuuenum, & caponum, & consimilium. Incredibili uero uigilantia immaturos fructus, qua uti consuesti, propter cruditatem euites, ne non toto ex animo appetitus tui pisces postponas. Vniuersa fercula, quæ pastam habent, & crassa legumina sic abnuas, sic recuses, ita quoq; uinũ temperata moderataq; aqua dilutum bibas, ut pristinus uigor pristina cum sanitate redeat, & quàm plurimis tibi commodis, & pręsidijs moderatum exercitiũ opituletur, In primis cum tua sapientia, qua fers obedientiam, anteq; de grabato surges, tibiarum, coxarum, ac cæterorum artuum frictiones ualde ut homo studiosus, postea tamen ut uir nobilis, & strennuus, & gloriosus facias. Quid tandem dicam? quum cameram pituosam, tum etiam humidam habitationem tibi obnoxiam esse certo scias, simul calidum, & tonsum caput, cum incredibili tua custodia non solum teneas, uerum

etiam ualde,& illico mane ſatis confrices,& pectas aſpero panno, ſi aliquem pectinem ex cornu arietis adeptus fueris. Hoc ita tibi ſalubre,ut magis nihil eſſe arbitror,uehementer fiat, Somnum talem libentiſſime ſuſcipias,qualis in breuitate maxime competit, & pro omni die laxam aluum procures. Quod ſi ſuum opus tardum & procraſtinatum natura habet,quam modo tu æger,quibuscunq; potueris clyſteribus præſcriptis adiuuabis,id tibi erit mirum in modum conueniens.

AD AEGRVM ADHORTATIO Gallicani, de curatione humoris melancholici.

MI æger â te uno omnium humaniſſime peto, ut quàm paratiſſimo ſis animo ad capiendam cõſilij commoditatem, quandoquidem ita natum, ita excitatum,ita factum, ita eti-

tam cognitum à melancholia tormentũ reperitur, ut omni celeritate & obedientia opus ægri ſit, in hoc, ut non modo quid poſſit, uerum etiam quid debeat, uigilet. Propterea ſapientiſſimi, ac doctiſſimi homines ſuadent acerbis & obnoxijs morbis feſtinandum magis eſſe, q̃ tardandũ, Caue igitur diligenter, ne tarditatis uitio in tarditatem ſanitatis ruas, & prius quoquomodo penè, quàm medicinam ſumas, tu tantam uides, tantam ſentis melancholiam undiq; dominari in uiſceribus, quæ plane non tam nocturnum quàm diurnum ſupplicium excitat. Num igitur cum tam ſolerti, tam ſagaci, tam ſapienti conſilio tibi ſalutaribus medicamentis magis, quàm uerbis opus eſt: Certe humor atrę bilis repellẽdus eſt, qui acerbitatem morbi, diuturnitatem cruciatus, ſupplicium perenne corporis exaſperat, & coaceruat. Quid igitur conſulam, niſi ut funditus concoquere & purgare melancholiam cogites,

tes, & mediteris? Quod supereſt, pergo mi æger, & iam non cum ſocordia, ſed cum ſumma uigilantia dietam tuam obſerua, & quidem talem, quali maxime cõualeſcas.

DE DOLORE CAPITIS CVra recta, atq; propria, qui à melancholia ſolitus eſt mortalibus contingere.

POſtq̃ ualidiſſimam melancholiam cognouiſſem acerbiſſimum dolorem capitis effeciſſe, eo magis tum ad calidum, tum ad humidum totam illam dietam ſex non naturalium rerum oportebat fore, quo citius in hominibus ſanitas comparuiſſet. Magnũ enim incommodum habet ea ipſa eſca, quam ita, ut porrum, cæpas, allium, caules, carnes anatis, anſeris, cerui, dorcadis, leporis, quiuis melancholicus ſummo ſtudio uitet, & ſi qua ſunt de eodem genere, &

gaudeat idoneis epulis ſalubribusq́ mē ſis,ac poculis dilutis ſemper modici ui- ni,ſuauiſſimis facetijs,& ſupremis uolu- ptatibus delectari,& ob moleſtiam præ ſertim,& angorem magna lætitia affici- atur,adhibeat aſſiduam conſolationem, quę ſermonis auiditatem auget,& triſti- ciæ & iracundiæ aufert, quæ leuare do- lorem poteſt, ægroti ſit etiam omnino quidem naturalis motus,& temperatum exercitium, quo facilius ſanari poſſet,ac uictum requirat pulchrum atq; decorū, quod ſua ſponte conualeſceret, quodq́; ſpreta & contempta ebrietate optima ſa nitas ſequeretur. Diuinitus enim Plato ſobrietatem corporum medicinam ap- pellat. Tu autem quotidie alui excre- menta quidem maxime procures, Si enim tardat quotidie magis ac magis na tura opus ſuum,da operam,ut eam q̃; ac curatiſſime ſubleuares, inſtrumento cly ſteris,quem uulgaribus atq; triuialibus uocabulis tibi recentiorum deſcribam.

℞.ſti-

℞. sticados arabici, blitis mercurialis, fumiterræ ana M.j. fiat decoctio, de qua accipe lib.j.ß.in qua dissolue elect.de sebesten ʒ.v.hierepicræ ℥.ß.olei communis ℥.iij.salis triti parum, & fiat clyster, uel talis clyster formetur, qualem tu cōmodissimum perspicies, ℞. fumiterræ M.ij.maluæ, mercu. florum camomillæ ana M.j. boraginis M.ß.fiat decoctio, de qua accipiatur quantum sufficit, addantur hierepicræ ʒ.v. cassiæ, sacchari rubei ana ʒ.vj.olei communis ℥.iij.salis ʒ.ij.administretur ieiuno stomacho. Si te salubris potio pari coniuncta ope delectaret, ℞.florum uiolarum, boraginis, buglossæ, capillorum ueneris, sticados, sansuci, camedreos ana p.j.liqui.passularum ana ʒ.ij. prunorum sebesten ana nu.v.foliorum senæ ʒ.ij. epithimi ʒ.j. fiat omnium decoctio, de qua accipiatur quantum sufficit ad commiscendū, cassiæ, electuarij lenitiui, ana ℥.ß.confectionis hamec ʒ.ij. syrupi, uiolarum,

& de ſticados ana ℥.ß.& fiat potus, Tu uero in aurora eum maxime neceſſarium accipe, Vel talem decoctionem facias, ℞.capillorum ueneris, ſticados, maioranæ, florum boraginis bugloſſæ, ana p. j.epithimi cretenſis, foliculorum ſenæ, mirabulanorum nigrorum ana ʒ.j. agarici ellebori nigri ana ʒ.ß.polipodij ℈. ij.fiat decoctio ſecundum artem, cum qua diſſolue caſſiæ ℥.j.elect.eleſcoph ʒ. ij.& ſyrupi de ſticados, & uiolarum ana ʒ.iij.adde, & fiat potio. Deinde phlebotomia non ſolum conſentanea eſt, ſed etiam, quod non multis contingit, niſi effluentibus ſanguine, ualde neceſſaria. Eſt enim in ea ſumma ſpes, ſumma fides, ſummum propter periculum confugium, & ſecuritas. Vbi autem adoleſcentis, aut iuuenis ægri uenæ in corpore rubent, & tument plenæ, & uires patent, itaq; non ſolum pro abundantia, uerum etiam pro pari conſuetudine aut ſanguinem detrahere aut emittere oportet,

tet, ut ille cognoſcat hanc miſſionem ſibi magno uſui atq; adiumento fuiſſe. Purgatis autem communibus, ac ſuperfluis humoribus aut capitis uenam, aut communem incidat, atq; feriat cognitam per ſe ipſam, quæ eius neceſſitas eſt, phlebotomiam hanc dignam perpetua utilitate, atq; præſentaneo adminiculo iudicabit. Peto igitur à te, ut ſane poſt phlebotomiam recte adhibitam ad diminuendam materiam ſuſcipias hanc decoctionem, quam ſupra ſcripſi, & cuiuis optima atq; commodiſſima deſcriptio eſt. ℞. florum boraginis, bugloſſæ, uiolarum, ſticados, fumiterræ, capillorũ ueneris, lupulorum, ana p.j. polipodij, foliorum ſenæ, epithimi cretenſis ana ʒ.j. fiat decoctio ſecundum artem. ℞. iſtius decoctionis ℥.iij. caſſiæ ℥.ß. confectionis hamec ʒ.j. dyafiniconis ʒ.j.ß. ſyrupi de ſticados de uiolis ana ʒ.iij. & fiat potio. Vel ſi huiuſcemodi decoctionem animus tuus poſtulat ad curandam cæ-

phaleam atræ bilis, ℞. sticados uiolarũ, florum borag. buglossæ ana p. j. polipodij, senæ, mirabulanorum, indorum epithimi, liqui. ana ʒ. j. aquarum buglossæ lupulorum, fumiterræ ana quantum sat est, & bulliant secundum artem, fiat colatura, in qua agitetur lapidis lazuli bene loti ʒ. ß. & ligetur in panno subtili, & exprimatur, & cõfectionis hamec ʒ. iij. dissoluantur syrupi de buglossa, de sticados ana ʒ. ij. & fac potum. Nunc uenio ad tam efficacem, & tam sublimem spotionem, quæ tum omni experientia, ummaq; uirtute frigidam cæphaleam bilis atræ absolutissime sanat, ac potentissime propellit, propulsat, exterminat, in qua si tu incredibiliter delectaris, ℞. agarici trociscati ʒ. ij. turbit, pulueris sticados ana ℈. ij. sinsiberis ℈. j. fiat infusio in aqua lactis, uel in supra scripta decoctione, & post horas decem dimissas fortis fiat expressio, cui electuarij lenitiui ℥. ß. confectionis hamec ʒ. j. syrupi de epithi

mo

mo ℥.ſ.adde,uel oximellis ſquillitici,miſce,& fiat potus .Hoc uero remedium ægros unice iuuat,℞.ſticados,maioranæ, florum bugloſſæ,boraginis, capillorum ueneris uiolarum ana p.j.polipodij,ſenę ana ʒ.j.ellebori nigri ℈.ij. epithimi ʒ.j. aquarum fumiterræ,bugloſſæ ana q. ſufficit, fiat decoctio ſecundum artem,℞. iſtius decoctionis ℥.iij.agarici trociſcati ʒ.ij.reubar.elect.℈.ij.ſpicæ gra.iij.ſtent in infuſione per horas decem, & facta colatura addatur.℞.elect.eleſcoph . confectionis hamec ana ʒ.j.ſ.ſyrupi de epithimo de ſticados ana ʒ.ij. fac potionem,de qua ſi id,quod ſpero,fore ſalutare ad tuam aduerſam ualetudinem comprimendam, atq; leniendam cognoueris,pero ut eam magni facias,complectare, in corpus tuum ſumas , crede mihi, erit id tibi mirum in modum ſalubre . Si bolus ad hoc propoſitum tibi uehementer iterum atq; iterum placet,℞. dyaſenę ℥.ſ.elect.eleſcoph ʒ.ij.ſeminis peoniæ,

sticados ana ℈.ij.& bolus cum saccharo formetur. Alius bolus nobilissimus, atq; expertissimus aduersus cæphaleam praui & melancholici humoris, ℞.elect. de sebesten ʒ.iij.ß. confectionis hamec ʒ.ij.seminis peonię sticados añ.ʒ.ß.sachari quantum sufficit, & fiat bolus. Ad curationem biliosæ cæphaleæ in pilularũ forma, ℞.pilularum indarum ℈.ij. cochiarum ℈.j.fiant pilulæ cum syrupo de sticados nu.xiij. uel facias sic, ℞. pilularum de lapide lazuli ʒ.j. agarici præparati gra.v.formentur pilulę cum oximelle squillitico nu.xj.Sed hęc hactenus. At nunc tibi seruio, medicamenta scribo, te consolor, tuum corpus prouideo, à morbo te libero, & quid conueniat post hęc solutiua pharmaca, quæ materiam peccantem minuisse uideantur, certiorem fieri uolo te, Nam reliquias humorum tantopere cum syropis coquere uehementer suadeo, mihi quidem sic uideor uidere, me, quicquid habuerim artis de medi-

medicinis, in illam curationem tibi con- tulisse. Quum aliquid uidetur consuli posse, tũ nihil negligi uolo; quod nunc paratis omnibus instrumentis cum con- silio profici omnino possit. Vna ratio certa uidetur, ut operæprecium sit ad su perstitem materiam tuam adornare dige stionem, quam tu non ex integra senten tia aspernare, Quod quum aduersa uale tudine proprio commodo inseruias, ℞. syrupi de epithimo ℥.j. syrupi de buglos sa ℥.ß. aquarũ buglossæ, scolopendriæ, sambuci florum ana ℥.j. & detur per quinque dies. Quanto commodo syru- pus alius inuentus est, quo semper sua sponte ægri usi sunt, ℞. oximellis squilli- tici ℥.j. syrupi uiolarum ℥.ß. aquarum buglossæ, scolopendriæ, mellissæ ana ℥. j. pro una uice, quem si clarificare libet, cum nuce muscata, & ligno aloes eum condire possis, uel si supra scriptæ aquæ non habentur, quarum loco iam cum dictis syrupis ista decoctione uti pote- ris,

ris, ℞. ſcolopendrię, capillorum ueneris, ſticados ana M. ß. radicum bugloſ. domeſticæ, & ſilueſtris, & florum earum ana M. ß. liqui. paſſularum ana ℥. ß. polipod. epithimi ana ʒ. iij. & fiat decoctio. Sed ſi loco ſyruporum decoctione omnium ſaluberrima uti uolueris, ℞. ſticados, ſcolopendriæ camedreos florum boraginis, bug. ana M. j. radi. apij, feniculi corticum radi. capparorum ana ℥. ß. liqui. ʒ. iij. paſſularum ℥. j. foliorum ſenæ poli. ana ℥. ß. epithimi M. ß. fiat decoctio ſecundum artem, & ſtet per noctem, deinde coletur, colaturæ addatur oximellis ſquillitici ſyropi uiolarum ſyrupi de epithimo ana ℥. j. & fiat potus longus, & aromatizatus, cum nucæ muſcatæ & detur menſura ℥. iiij. Ego uero nullum ſtudium prætermitto, nec enim debeo, non modo ſanandi tui, ſed ne leuandi quidem, ſed materia uiſcoſa omnibus modis concocta pharmacis ſolutiuis eget alui purgandæ cauſa, quam ue-

lim

lim pharmacis præſcriptis purges, operamq́ des, ut quàm commodiſſime pharmacum aliquod pro congrua doſi, & pro ſummo tenore uirtutis aſſumas, in primisq́, quod tibi utiliſſimum eſt, ſanitatem corpori proſpicias. Aluo ſoluta ſi opus fuerit, liberaliſſime lotionibus & ſternutamentis capitis utere, de quibus præſertim quum in ſuperioribus locis copioſam doctrinam habes in omni uarietate fidelium auxiliorum, tum maximis beneficijs neceſſitatis, uel ueram optimis curationibus, uel ornatam iuſtiſſimis conſilijs, neceſſe eſt, ut ſis totus diligens, & rectiſſimum ordinem obſerues. Succum autem ſanſuci tu, aut decoctionem eius non ſolum pro ſanitate ad nares adducas, ſed etiam contra omnem capitis ſuperfluitatem attrahas. Sed hac de re aliás ad te pluribus. Quamobrem te hortor, ut omni cura in ſanitatem incumbas. Hoc ad obedientiam tuam pertinet, quam quum ſemper probaſſem,

tum maxime in tuis morbis ſummum ſtudium, diligentiam, uigilantiamq; cognoui. Da adhuc operam ut ualeas, ut habeas magnam mihi gratiam.

QVEM IN MODVM NONNVLLA *ponenda medicamenta ſint, quæ abſq; differentia cuiq; dolori capitis congruunt, & ualent à proprietate longe uerißima.*

FRuctuoſam contra dolorem capitis curationem, ac frequentiſſima ſtudia mea, quæ tibi, ac omnibus ægris præſtiti, tibi homini imbecilliſſimo ſalutaria eſſe uehementer gaudeo. Iamq; ſcito indies maiori ſuffragio unicuiq; dolori capitis à tota proprietate expertam, bonam, & ueram medicinam me eſſe traditurũ, quę quidem à Deo optimo maximo, & ab eius diuina clementia ſic profecta eſt, ut nihil uerius inueniri poſſe uideatur. Sed multo mihi magis magisq; quotidie exploranti ob ſummam

mam experientiam non improbatur ſan guis turturis aquaticæ, fronti & tempori bus illitus, qui capitis humani, ut aiunt grauiſſimum tollit quemlibet dolorem. Non enim ſolum propter admirabilem magnitudinem beneficiorum, uerum etiam propter ſingularem uirtutem geſtatus in digito annulus, in quo infantis recenter nati modicum umbilici includitur, tam à moleſtis & grauibus morbis capitis imbecillos communiter tutatur, & plurimum præſeruat. Aquam illam Plinius & magnifaciebat, & probabat, quæ poſt potationem ab ore aut aſini, aut bouis in uas adiectum confluxerat, eadem ab ęgro potatá ad optimã ſanitatem uehementer apta eſt, & omnem morbum capitis maiorem in modum placat, atq; mitigat. Sed os enim uerticis aquilæ tanta ſcilicet fide, quanta conuenit in corio cerui abſcõdatur & ligetur, & id ſupra dextrum tempus, aut ſupra ſiniſtrum applicetur. Vbi quidem pars

doloris eſt, confeſtim quemuis morbum magis atq; magis ſedat. Illud illuſtris medici Giberti elogiũ eſt, ut pectinatio capitis cum eburneo quidem pectine ualet incredibili uirtute, habet ſingularem proprietatem, iampridem in eo robore ſanitatis probatᷓ, atq; adminiſtrare mortalibus nouum uigorem mirabiliter uidetur. Marcellus enim antiquiſſimus medicus ſingularis experientiæ, & ſtudijs optimis deditus à pueritia, plane id nouit, quòd radix cupreſſi capiti circumligata dolorem eius conſtanter & ſine dubitatione amouet, & circumcirca polygonon capiti ligata herba una præter cæteras dolorem tollit. Quid ſentiam de ſale, qui diligentiſſime cum rutha contritus adiecto melle, & fronti illitus perpetuum & ſingulare ſtudiũ ſuum profitetur atq; pollicetur in ope ſalutis & dolorem manifeſtiſſime, & ſuauiſſime mitigat. Quapropter, ab authoribus habes proprietatem medicinarum conſcriptam.

tam.

tam. Sed tu eam multo facilius pro tua ſingulari prudentia probabis, & experieris, & tamen quod facere nec multum ſuadeo, nec diſſuadeo, ſi maxime lubet, elige tibi eam, quidquid capiti illa cōmodauerit, id profecto tibi erit maiorem in modum gratum, & probabile.

QVIBVS REMEDIIS QVAEſita, atq; explorata curatio de languore capitis, qui per communitatem naſcitur.

DE doloribus capitis, qui per communitatem fiunt, quid laborandum, quid rimandum ſit, quid authores ſenſerint, ſcite conſideratéq; curationem ex libris medicorum oportebit ſcribere, ſi initium ex ſtomacho, acerbiſſimi, truculentiſſimi, uehementiſſimi morbi euenerit, ex deſcriptione capitis tertij, & de toto ſignificatu cauſarum cōmunium cognoſces, quæ, & qualia medica

menta ſit facienda. Itaq; ut à me petis, quantum potero te ab omnibus moleſtijs & angoribus abducam, transferamq; animum tuum ad ea, quibus ſecunda ualetudo conſeruatur, aduerſa adimitur, tecumq; & ero tantum, quantum poſtulabit utriuſq; integritas, & humanitas. Tu quidem ut debes, & ut ego tibi ſuaſi, & ut te anxietas infirmitasq; coercet, tepidam aquam cum optimo aceto, & modico oleo communi ad morbi expulſionem adorna, quem ego potum ad prouocandum uomitum tibi eſſe accipiendum uehementer ſuadeo, & illum quidem uomitum etiam leuem & gratum tibi fore puto, Sed ſi uis efficaciorem, ℞. ſyrūpum acetoſum ſimplicem, aut oximel ſimplex, aut compoſitum, aut ſquilliticum, rectiſſimeq; cum aqua rafani, uel potius ſucco quàm ſecurus, q; probabilis uomitus fiat, uel quoquo modo [illegible] talem magis, atq; magis experiri uis, ℞. ellebori albi ℥. ij. conquaſſentur,
&

& bulliant in lib.j.ß. & colaturæ adde aceti ℥.j.olei communis ℥.ij. & uomitus formetur, quo facto cum calido uino dentes purgandos esse prudenter cõsulunt celeberrimi medici, si qua necessitas, anxietas, perturbatio postulauerit, postea quàm sit facile materiam ex aluo præsertim peccantem educere. Verum tamen quum prius eam concoquere ad sufficiendum congruit, quàm medicari præpostere licet, id recte facias, si potissimum causa doloris cholera pura fuerit. Illud placet, ℞.oxizacarę ℥.j.mellis rosacei ℥.ß.aquarũ absinthij, lupulorum, cicoreæ ana ℥.j.& pro una uice misce. Si cognouerit medicus choleram citrinam efficere incredibilem & atrocem dolorem, non esse cunctandum, ℞.syrupi acetosi simplicis, de bysantijs, mellis rosacei ana ℥.ß.aquarum endiuiæ, scabiosæ, absinthij ana ℥.j.& misce pro una uice, Si choleram, quam uitellinam uocant, uisam esse, & compertam causam immen-

ſi doloris, ℞. oximellis ſimplicis, mellis roſacei ana ʒ.vj.aquarum abſinthij, feni culi, cicoreæ ana ℥.j. & miſce pro una potione. Quod ſi propter ſtomachum delicatum infra ſcriptam decoctionem cōcupiueris, cuius & copioſum, & mag nificum commodum non aſpernare, ſed quum præparata materia eſſe uideatur, tu ad primum lapſum ſanitatis, ℞. flo rum bugloſſæ, boraginis, uiolarum, capillorum ueneris ana p.j. prunorum ſebeſten iuiubarum ana nu.iiij. liqui. ℈.ij. tamarindorum ʒ.ij.mirabulanorum citrinorum ʒ.j.ſeminum communium fri gidorum ʒ.j.ß. paſſularum ʒ.ij. aquarũ abſinthij cicoreæ, feniculi ana q.ſ. fiat de coctio ſecundum artem, ℞.ſupra ſcriptę decoctionis ℥.iij.caſſiæ ℥.j.elect.de ſucco roſarũ ʒ.ij.ſyrupi uiolacei ℥.j. miſce & fiat potio. Aliud medicamen acerbiſſimę infirmitati tuæ uehementer conuenit, quod tibi omni diligentia, atq; conſtantia eligendum eſt ad nanciſcendam

ſani-

ſanitatem, ℞. caſſiæ ℥.j. dyafiniconis ʒ. iij. uel tantum elect. de pſillio, & cum ſupra ſcripta decoctione & ſyrupo uiolaceo fiat potus, uel facias ſic, ℞. reubar. electi ℈.iiij. ſpicæ ſquinanti ana gra.ij. uini aromatici parum, infundantur in aqua abſinthij per horas decem, & facta expreſſione forti, ℞. caſſiæ ℥.j. ſyrupi uiolacei ℥.j. miſce & fiat potio. Si deglutire maxime tibi libet pilulas, ℞. pilularum de reubar. ℈.ij.ſ. fiant pilulæ cum aqua abſinthij, uel recipe pilularum de iera ℈. j. de aſſairet ℈. ij.ſ. fiant pilulæ cum ſyrupo acetoſo nu. xiij. Harum uero loco aggregatiuas in cholera citrina, aut uitellina plenas uirtutis, utilitatiſq́ accipe. Si non bolus in cholera pura diſplicet, ℞. caſſiæ ʒ.vj. dyaprunis ſolutiui ʒ.ij. zuchari quantum ſufficit & fiat bolus, uel recipe elect. de ſucco roſarum ℥.ſ. & fiat bolus cum zucharo. Alius quidem bolus præſtabilis adiumenti contra choleram citrinam atq́ uitellinam, ℞. caſſiæ

℥.ß.dyasiniconis ʒ.ij.ß. zuchari quantum sufficit, & fiat bolus, uel recipe electuarij de sebesten ʒ.iij. dyasiniconis ʒ.ij. & fiat cum saccharo bolus. Ex uitio stomachi in maximo dolore capitis hic syrupus excellentissimus, medicina omnium saluberrima mirificam tibi ad morbum opem pollicetur, ℞. saluiæ, mentæ, betonicæ, sticados, arabici, pulegij ana M.ß. fumiterræ, scabiosæ, endiuiæ, cicoreæ, epaticæ, rosarum rubearum, squinanti, spicenar. ana quartam partem M.j. ciperi calami aromatici, diptami hermodactilorum ana ʒ.ij. agarici electi ℥.ß. bulliant in lib.ij. aquæ, usque ad consumptionem mediæ partis, colentur, & fortiter exprimantur. Huic decoctioni syrupi de sticados mellis rosacei añ. ℥.ij. addantur, sachari quantum sufficit, & fiat potus longus. Quum in his casibus stomachi solerent tot syrupi auxilia cumulatissime & rectissime multis mortalibus administrare, & qui me hercule ad hoc

hoc propositum apud te multum ualebunt, & qui tibi probabiles erunt, & quos diliges, eos tibi omnes in libris secũ de decadis & artificiosos, & ueros describam. Si materia phlegmatica à stomacho fumet, de qua eleuatum ad caput sentis tibi dolorem esse, quod crebro tormentum per ascendentes uapores fit à quocunque genere phlegmatis, illud per uomitum moderatum, & idoneum faci le educas. In primis oximel cum succo rafani accipe, & uomitũ prouoca, quod si materia admodum cruda sit, eam antea concoquere debes. ℞. syrupi acetosi de radicibus ℨ. vj. oximellis simplicis, mellis rosacei percolati ana ℥. ß. aquarũ saluiæ feniculi ana ℥. j. & misce. Et unũ hoc scito, si te causa gustus grati syrupus oblectat, profecto eum tibi facias summopere cum cinamomo condire, uel facias sic, ℞. syrupi de buglossa, de epithimo, oximellis squillitici ana ℥. ß. aquarũ fumiterræ, absinthij, apij, ana ℥. j. Et quã pri-

primum materiam digestam pro tua pru dentia funditus perspicias, ℞. florum bu glossæ, uiolarum, capillorum ueneris añ. p.j. radic. feniculi apij ana ʒ.ij. liqui. ʒ.ij. passularum ℥.ß. sebesten numero iij. aquarum absinthij, mellissæ, buglosse ana quantum sufficit, fiat decoctio secundũ artem, ℞. istius decoctionis ℥.iij. agarici tro. ʒ.j.ß. turbit albi ℈.j. zinsiberis ℈. ß. spicæ gra. iij. infundantur per horas decem, & facta expressione, ℞. elect. de dactilis, elect. lenitiui ana ʒ.iij. mellis rosacei ℥.j. dissoluant̃ in prædicta decoctione & fiat potus. Vel recipe ierepigræ ʒ.vij. mellis rosacei ℥.j. dissoluantur in prædicta decoctione, & fiat potus. Si iterum atq; iterum pilulas sumere opus est, ℞. pilularum de iera cum agarico ℈.ij. aggregatiuarum ℈.j. fiant pilulæ cum aqua feniculi, uel recipe pilularum cochiarum ʒ.j. & pilulæ formentur cum aqua mellissæ. Sed tanta ægris in puluere spes est, fidesq;, ut si propria sanitas esset,

non magis posset commendari, ℞. turbit albi ℈. iiij. zinsiberis ℈. ij. succhari ad pondus omnium, & fiat puluis, quem uelim prorsus omni cura, opera, diligentia accipias. Si te bolus quidem allicit, uel placet potius, ℞. cassiæ ℥. ß. dyasinicouis ʒ. ij. ß. zucchari albi quantum sufficit, fiat bolus, uel recipe ierepigræ ʒ. vj. & fiat bolus cum zuccharo. Si ad solidam formam animi inductio est, recipe dyasiniconis in tabulis ℥. ß. quo studiose diligenterq; utere. De his hactenus. Alia enim tantæ ad soluendam aluum suffragia sanitatis tibi à plerisq; scripta sunt, ut nihil posset esse utilius, quàm hęc sunt ad communem locum colligenda, atq; enucleanda. Membrum autem uacuata materia petit nonnunq̃ uarietatem auxiliorum ad recuperandas uires, sed plerunq; necessariam, ut hoc loco. Quare cum oleis, unguentis, confectionibus, pulueribus, ac similibus tibi summum opus, summaq; necessitas est. Eo-

rum auxilia ſemper frugi, & iucunda, & ſalutaria, & ægris uehementer comprobata tibi deſcribo diligentiſſime in illa ipſa decade ſecunda de doloribus ſtomachi, quæ maiorem in modum tibi grata erunt, cum quibuſcunq; modis ſine tua moleſtia poteris, his utere. Quod ſi materiam melancholicam cum uomitu euacuare neceſſario putas, ℞. erucæ, rafani, hermodactilorum, foliorum aneti, fiat decoctio. Poſtea hoc medicamen cum melle detur bonum, leue, expertũ. Si non ſatis purgandos humores melancholicos & crudos cum uomitu eſſe iudicas, ℞. ſyrupi de fumoterræ, de byſantijs, uiolacei ana ℥.ß. aquarũ buglоſſæ, ſcolopendriæ, cuſcutæ ana ℥.j. & miſce pro una uice, uel recipe ſyrupi de epithimo ℥.j. de bugloſſa ℥.ß. aquarum ſcolopendriæ, fumiterræ, cuſcutæ ana ℥.j. miſce, & quando, & quotieſcunq; placuerit, cum cinamomo aut ligno aloës aromatizetur. Materia enim digeſta nihil

hil dubito, quin ad uacuandũ prȩsentes pilulæ satis superq́; ualeant, ℞. pilularũ indarum ℈. iij. aut iiij. formentur pilulæ cum syrupo, de fumoterræ, uel recipe pilularum de lapide lazuli, stomaticarum ana ℈. ij. fiant pilulæ cum aqua buglossæ, uel recipe pilularum cochiarum, stomaticarum de lapide armeno ana ℈. j. fiant pilulæ cum aqua de fumoterræ, & ita materiam euacua, ut docuimus. Vel facias sic, ℞. florum buglossæ, lupulorum, capillorum ueneris, uiolarum, fumiterræ ana p. j. sticados ʒ. j. foliculorum senæ ʒ. ij. polip. ʒ. j. ß. liqui. passularum ana ʒ. ij. epithimi ʒ. ij. ß. bulliant secundum artem in aqua buglossæ, mellissæ ana quantum sufficit, aut in aqua simplici, ℞. istius decoctionis ℥. iij. cassiæ ℥. ß. confectionis hamec ʒ. iij. syrupi de radicibus sine aceto ℥. j. fiat potus. Si bolus tibi ad sumendum placidus est, ℞. cassiæ ℥. ß. confectionis hamec ʒ. ij. ß. zucchari quantum sufficit, fiat bolus, uel re-

cipe

cipe dyaſenæ ℥.ß. dyafiniconis ʒ.ij.ß. & bolus fiat cum zuccharo deauratus. Etſi non dubito pro mea in te obſeruantia, proq́ tua contra morbum neceſſitate, quin compoſitionibus pluribus egeas, tamen etiam atq; etiam eadem tibi remedia ſalutaria, & morbi crudeliſſimi tui præſentis ſuffragia uera commendo, quæ pauca quidem ad hoc propoſitum exaro, & trado, quum magnis & multis negotijs occupatiſſimus eſſem, multa enim hoc loco, quæ ad propoſitum pertinent omiſeram. Sed quum & poſt illam materiam uacuatam ampliſſimis inſtaurationibus ſtomachi, & ſuffragijs potentiſſimis opus eſſet, quapropter emplaſtra ad aluum apponenda, unguẽta ad ſtomachum applicanda ea parata ſunt tota, ſed prorſus quidem nec tibi minus, quàm omnibus cæteris, quæ etiam proprio loco inuenies. Illud quidem etiam regimen commemorare lubet, quod ego ſuperioribus omnibus caſibus

bus non modo ad cibum, uerum etiam ad potum satis sollicite scripsi, quod quidem omnia maxime continet edulia, quæ ut facilime ad caput fument, ea tibi uelim, uel condemnenda uel etiam uitanda, ut sunt porri, cepæ, allium, caules, nuces, crassus panis ac similia. Id uero tibi maxime conducet, quod te ad potandum tenue uinum inuitet. Hoc hercule facias, ut tibi potissimum sumas per eundem modum aliquid in fine pastus, quo uehementer repelluntur fumi ad caput ascendentes. Hæc ego tibi ob eam causam scribo, ut iam de tua sanitate meditere, in primis concinnatum cum zucchoro sine speciebus dyacitoniten, aut aliquot grana coriandri præparati, aut modicum tibi tosti panis comedendum est, quod is esus, qui potitur incolumitatis, probaturus uideatur. Si petiturus sis confectionem quidem illam salubrem fortis & cōstantis uigoris, nihil est quod desperes, ℞. conseruæ citoniorum, con-

ſeruæ roſarum ana lib.ß.coriandri præparati ℥.j.& fiat mixtura cum niua citoniorũ. Aliud quidem medicamentum, cuius manifeſtiſſimum præſidium atq; præſentiſſimum eſt, uaporibus ad caput aſcendentibus, ℞. coriandri præparati ℥.j.ſumach.anteræ,roſarum rubearum, nucis muſcatę, gariophilorum ana ℈.j. ſeminis aniſi ʒ.ij.ß.zucchari albi triplũ, & fiat puluis ſubtilis,tamen aut ſuper horum comeſtionem,aut eſum omnino nihil epotes,& nunc uehementer te etiam atq; etiam rogo, ut à diurno ſomno q̃ pertinaciſſime te abalienes, & potiſſimũ poſt cœnam per aliquot horas conſtitutas,& integras, Anteq̃ eas dormitum, abſtinentiam potus habeas.Dolor præſertim capitis ab illo ipſo ſtomachi uitio proueniens,tot homines urget,& angit,ut grauiſſime truculentiſſimeq; poteſt.Sed tamen nonnunq̃ dolor miteſcit,propter adminiſtrãdam medicinam. Pilulas aromaticas tibi ob multa,& mag

na auxilia uehementer etiam atq; etiam commendo, ℞. pilularum alefanginarum ℥.j. & fiant pilulæ magnæ cũ melle rosaceo. Quibus potissimum pilulis pro natiua industria, ante cœnam per horas duas, tribus aut quinq; diligenter tu utere in hebdomada. Expertissimus enim medicus Antonius Guainerius huiusmodi componit pilulas, quas fructuosissimas imbecillimo stomacho esse dicit. Si non modo harum pilularum summo desiderio, uerum etiam summa cupiditate ardes, ℞. ozimi gari. rosar. rube. croci xilob. carpobalsami sticados, ligni aloes, spicæ, assari, squinanti seminis peonię ana ℥. ß. draganti bdelij ana ℈.ij. macis ℥.ij. radicis brioniæ ℥.v. aloës epatici ℥.iiij. ß. fiat cum syrupo de sticados massa, ex eadem, quum opus fuerit, pilulas confice, è quibus ita pro necessitate, aut tres, aut quinq; per horas duas ante cœnam, quod supra scripsi aliquoties, aut semel ad minus accipe in hebdomada.

Est

Eſt enim in illis, quum uirtus, & robur & ſummum auxilium, ſummaq; ſpes, tum ſanitas illa corporis humani, quæ cu mulatiſſimis beneficijs ſtomacho opitulatur, quæ iucundiſſimũ atq; optimum appetitum excitant, quæ à corruptiſſimis eum atq; ineptiſſimis humoribus mundificant, uiſum deniq; & auditum, & memoriam, ac omnes alios ſenſus iterum atq; iterum corroborant. Omne igitur conſilium à me ſcriptum habes de dolore capitis, cuius quidem publicum eſt uitiũ à ſtomacho ꝓueniens, prorſus ſic ſuaſi, ut qualibus remedijs curari debeat, Si uero aliqua uel mala complexio, uel qualitas derelicta in capite tibi maximo impedimento fuerit, quòd memineris ꝗ tibi diligenter curationem ſuperioribus locis tradidiſſem, qua ut eum morbum funditus tollas. Nonnunq; uero epar cauſa cum eo morbo coniuncta eſt, quod mortalibus dolorem facit. Sed hanc curationem, quam ego, ut à maioribus

tribus didici, difficilem mihi duxi, eius graue uitium consilio & opera mea corrigam. itaq; illud sic sanabitur, ut nihil melius sanari posset. Truculenta autem cæphalea, quæ manat aut ex splenis, aut matricis, aut renum uitio, aut prodit ex quouis membro alio, prudenter curatur. Nam & peccans semper membrum corrigatur, diligentissimeq; emendetur, & non abalienetur à proprijs medicinis. Accedit eò, quòd locis suis magnopere eius curatio patefit tota, in quibus curare uitia talium membrorum ualde curiose docebo. Si igitur ab eisdem incredibilis dolor capitis penderet, illa q; primum tibi medenda sint, quum doloris causa ab odoriferis rebus proueniens sit, quem quidem non tam malus, q; bonus odor efficit, quod medicamen eius est, ut ad contrarium odorem q; præsentissima olfactio fiat. Grauissimus autem morbus capitis forinsecus à diuersissimis causis proficiscens, tantum medi-

usſidius conſequitur ſanitatis, quantum quidem ſuffragia ad contrarium per- mutentur, id eſt, ſi aliqua qualitas relin- quatur, eam quam maxime quibuscunque re bus poteris, pro tua ſingulari ſolertia propellas, atque immutes. Præterea ex ſu- perioribus & uberrimis ſcriptis, & pro batiſſimis remedijs, ſubſidia tibi quęre, Te eam, quam ſoles, ſanitatem à bono- rum medicamentorum adiumentis ex- pectare, eſſe capturum. Morbus item ca pitis, & cruciatus à diuerſis apoſtemati- bus palam & perſæpe exoritur. Tamen eum languorem capitis diligens curatio aufert, quam probatam alibi ſum, uolen te Deo optimo maximo, ſcripturus, Et ſi tota doloris cauſa à febre ſcatet, porro fe brem ad amuſſim ſupprime, atque eradi- ca. A te peto, ut contra aſcendentes fu- mos, hoc tam ſuaue, & tam neceſſarium epithima applices fronti, & temporibus, cum oleo roſaceo, & quidem permixto aceto. Hæc tibi medicamenta ita trado

omnia, ut si ad meam infirmitatem essent capienda, & sic sane tu ea uideas, de eadem re in alijs locis. Profecto nunc hæc ars medendi, quam ego, ut compertum est, longe uberrimam tyronibus scripsi, floret & ualet maxima uirtute, & utilitate sua. Itaq; eam sic augeo, ut nec accuratius ullam, nec studiosius, id primum & studiosis medicis uehementer gratum erit, & deinde infirmis salutare. Sapientes enim uiri perspicient nostram doctrinam habiturã incredibilia quoq; apud ægros commoda. Habes à medico documentum charissime æger mea quidem opinione salubre. Sed te uehementer & hortor & obsecro, ut hoc munere medicinali contentus sis, Antiquorum ignotæ tibi sunt compositiones medicorum, in omni genere & commoditatum & experimentorum communium. Et pleriq; pharmacopolæ, & plurimi medici, & iuuenes & senes, etiam indocti figuras earum haud didicerunt, & forsan igno-

rant & pondera, & mensuras legendi. Quanquam uerborum concinnitate, & styli compositiones apud ueteres ualde ornatę solent esse, quas si quis ponderat studijs literarum doctrinaque præditus diligenter, tamen multo negligentius tibi eas scripsi. Nam quum plura & maiora neotericorum suffragia sint ex probatissimis experimentis, ac uerissimis maxime efficacia inuenta & salubribus beneficijs locupletata, & satis commendata morbis, & doloribus uehementissimis, quæ tibi ego ad communissimum usum, & ob uulgatissimã inuentionem cumulatissime trado. Tametsi una forma est ex uocabulis barbarissimis, atque promiscuis, maxime rudis, & incongrua ipsa dispositio, & disiunctissimis hominum linguis compilata, & prope omnium codicum, qui lectori sapere barbariem uidentur, horridissima. Tamen multo expertiorem eam esse ad casus humani corporis, ut plus prosit imbecil-

becillis, quàm Cornelij Celsi, & Plinij antiquissimorum medicorum concinnæ & latinæ compositiones prosunt. Credo formam neotericorum ob eam rem esse laudatam quòd efficiens esset sanitatis. Sed hoc non dubito, quin existimes id non laudandum esse, quis & qualis ornatus dicatur, sed quid salubre sit ægris dare. Illud te rogo & hortor, ut illam quoque cum arte medica suauem, & politam facundiam coniunctam non spernes, quod ita esse tibi honestum, & utile polliceor, atque confirmo. Quamobrem multi sunt, qui uelint, quidquid habeo ingenij, nauem operam, quod commodo publico fiat, ut te ægrotante disciplina medica poliatur. Ego cum tua aduersa ualetudine, & fidelissime & constantissime uigilo, & in frequentissima studia artis medicæ incumbo, quibus tu potissimum sanaberis. Vale igitur mi æger, ac id tibi persuasissimum habe, me & tibi, & cæteris quidem esse fidelissimũ

medicum, sed multo fore fideliorem, si talibus consilijs, pharmacisq; delectaberis.

Volente Deo primum hunc librum propediem alij sequentur, quos iam non ædidi propter plurimas occupationes.

IN ZOILVM.

Nudo tetrius in terris nihil esse latrone
Tutius ore rudi nouimus esse nihil,
Te rogo, si quis te furor aut dementia torquet,
Zoile uel taceas, uel meliora feras.

VALENTINI POLIDAMI ALIQVOT epistolarum libellus.

VALENTINVS POLIDAmus *Petro de Gamratis episcopo Cracouiensi* S. D. P.

SVmmus tuus amor est erga literatos homines, sacratissime pręsul, quos quã amantissime & publice cõplecteris, quum omni officio liberalitatis, tum tollis uerissimis & iustissimis laudibus. Quapropter praesertim nihil est, quod aut dissuadet, aut uetat, aut terret me ad te literas dare plenas obseruantię, mansuetudinis, integritatis, quibus mea summa erga te officia synceritatis perspicias. Quàm primum ego optatissimum nuntium accepissem te summa cum laude Pontificem Cracouiensem factum esse,

maxima ſum lætitia affectus, & eum ſanctiſſimum ſtatum tibi Deum optimũ maximum fortunare uolo, neq; dubito, quin clementiam addas ad præclariſſimas uirtutes pontificalis dignitatis, quæ ad publicam & magnam & amplam honeſtatem mirabiliter accedit. Quicquid enim religioſo & ſapiente epiſcopo dignum ſit, id ſacra tua celſitudo, ac prudentia agit. Tantũ autem ornamentum tua pietas habet, ut ſumma ſynceritas ſumma cum religione iungatur, cuius pulcherrima offitia, quę ſunt in tua eccleſia, ita commendantur, ut maiore reuerentia, magisq; prorſus ex honore commendari non poſſint. Poſtremo gratis ualde ſtudijs, & multum ſingulari prudentia pontificalem dignitatem tuam ornas, hoc te cumulatiſſime immortalem reddet. Vale.

VALENTINVS POLIDAmus Gorlicensibus consulibus S. D. P.

POpulum uestrum & iucundis & præclaris moribus deditum & animo parato in rempublicam, prudentissimi atque humanissimi consules, apud multas gentes honorificam famam meruisse uehementer gaudeo. Ea est enim profecto magna laus & ampla, & iucunda, quæ à uobis proficiscitur. In primis maximam uestram in gubernandam rempublicam non prouidentiam audio solum, sed etiam uigilantiam, quæ profecto populo uicino notissima est. Admirabilis uero humanitas uestra, uel magnitudo potius suauissimi amoris erga homines liberalibus studijs & artibus deditos me ita uel cepit, uel incendit, ut tantum à uobis peterem, quòd uestra neque opera, neque consilio, neque uigilantia mihi deesse uelitis ad ea communicanda an

tiquissimorum argumenta annalium, quæ incredibilem gloriam uestrarum rerum & summam honestatem complectuntur, quam maxime uellem ad iucundissimam commemorationem posteritatis scribere. Nam nobilissimam populi et regni Bohemici historiam iam pene diligentissime absolui. Ideo uos non dubitare uelim, quin etiam amplitudo nominis uestri scriptis illustretur, & celebretur meis, quod quum pulcherrimum multis cognitum sit, tum etiam omni dignissimum laude, Magno ciuitati uestræ erit ornamento præclaram famam libris meis esse scriptam, cuius quidem monumenta perpetuo honori tradam, quod faciam charitate adductus propter patriæ uicinitatem, quæ cum uestro territorio coniungitur. Ergo si quid industria, si ingenio, si doctrina, si optimis artibus, quibus me ab infantia dedi, possum, florentissimam uestram famam tota mea opera, diligentia, labore cura-

bo

bo literis mandare, de qua posteri ij quidem, qui sapientissimi erunt, & plurimũ & mirabiliter loquentur, & honorificentissime sentient. Valete.

VALENTINVS POLIDAmus Ioanni Fabro Episcopo Viennensi S. D. P.

AMplissimæ dotes ingenij tui commouerunt me ad te literas scribere, quibus meum studium tuo acerrimo iudicio notum fieri uolui, Præsertim quum te laudari audiui propter summum ingenium & præstantem doctrinam, tum propter admirabilem sapientiam, & mirifice gaudeo, quòd doctissimorum uirorum iucundissima consuetudine non cares, ac lætor, quòd præstãtissimo consilio, & summa authoritate apud gloriosissimum regem Ferdinandum uiges & polles, quodq; non modo amantissimis ingenuarum artium homini-

minibus opitulari, ſed etiam inſeruire conaris & laboras, quos omnibus officijs, atq; omni liberalitate humaniſſime tractas, uel potius prę omnibus cæteris & colis & obſeruas, & diligis. Illi uero integritatem, modeſtiam, clementiam tuam & ſingularem amorem erga optimarũ artium cultores ualde admirantur, quibus tu perfacilem aditum ad tuam præſentiam patefacis, & innuis cognitum per te ipſum, quæ non modo tua pietas, ſed etiam natura eſt, & ſimul eos dignos ſumma tua amicitia, atq; conſuetudine iudicas, & arbitraris, atq; in tuam incredibilem beneuolentiam, & manſuetudinem recipis, Eam propter uirtutem maximus ad tuam uitam cumulus gloriæ accedet. Vale.

VALENTINVS POLIDAMVS IOANNI *Episcopo Misnensi* S. D. P.

VNum te Antistitem ex sapientissimis uiris religiosissimum, studiosissimumque uirtutis cultorem, hominem eruditum, & summa prudentia & iustitia & grauitate florentissimum esse libentissime audio, laudare uero omnibus modis. Nam si ea, quæ tibi uidentur sempiternę laudi esse, ita pręstas, ut fama est, gratulari non minus summæ uirtuti debeo, quàm pontificalem dignitatem tuam honorificè approbare, Sic quàm plurima quoque incredibilis pietatis ornamenta in te conspiciuntur, quæ sunt maximi splendoris, summæque claritatis, Ea prudentia sacrarum literarum tibi coniunctissima est, quæ ad religiosum & uerum Episcopum spectat. Reliquum est igitur, ut penè admirabili ac perpetua obseruantia tam me tuæ dignitati studiosum præbeam, præstemque quàm quod

ſtudioſiſſimum, ut ad omnia quæ ſtatus ſanctiſſimæ religionis poſtulat, ita ſim prȩſto, ut à me non ampliſſima honeſtas tua ſolum, & doctrina penè incredibilis, ſed etiam ſumma humanitas undecunq; laudetur. Illud tamen magis atq; magis me monuiſſe uel decuiſſe puta, uel propter ſingularem humanitatem ſilere non potuiſſe, ut quòd ego palam in ea prouincia cũ natus ſum tũ educatus, in qua q dem eſt pulcherrima atq; florentiſſima diocesis tua. Quapropter ſi ſit aliqua doctrina in me, eam optimis & gratiſſimis ſtudijs mirificè obtemperare amplitudini & dignitati tuȩ, libentiſſime ſpondeo, non poſtulandi muneris cauſa, ſed teſtificandi amoris mei erga te. Prorſus enim mihi conſtans, integer, caſtus, paratus & ſingularis & beneuolus eſt animus erga ſanctam religionem, quem facilime tu optimeq; cognoſces. Valde tibi gratulor, quòd ſapientiſſimè omnia moderaris, faues ingenijs, doctrinam uero et uir

tutem

tutem hominum, quantum tibi res & ipſorum neceſſitas demonſtrat, quàm diligentiſſime amplecteris. Sed pauciora quàm ſtatueram ſcripſi. Ex toto igitur animo unam meam integritatem tibi promitto ac plane recipio. in qua me caſtiſſimis atq; amantiſſimis uotis tuis eſſe obſecuturum putes atq; confidas. Vale.

VALENTINVS POLIDAmus conſulibus Budicenſibus S. D. P.

QVanq̃ difficilimis laboribus, & maximis negotijs implicatus ſum, & ſimul uobis ſapientiſſimi conſules arbitror perſonam quidem meam quàm maximè ignotam eſſe, tamen propter natiuam propinquitatem, ſummamq; charitatem, tum propter ſingularem dulcedinem patriæ, quam ſemper colendam putaui, uniceq; dilexi, conor & uolo ſtudium meum honori ue-

ſtro nunq́ deeſſe ulla in re. Quod quum ita ſit, magnopere à uobis quæſo, ut de ueſtra uirtute omne ueſtigium, omne argumentum, quod poteſtis ex annalibus colligere, non procraſtinetis diligentiſſime mecum communicare, quòd procul dubio ex eo ſummam laudem aſſequemini, Vobis uero liberaliſſime polliceor, et diligentiſſime conor paratū & rectum & uerum meum ſtudium fore in omni genere honeſtatis ueſtræ, quam magnopere à me, ut quantum ſtudio, & diligentia conſequi poſſim, illuſtrari & ornari enitar, contendam, efficiam in ea hiſtoria, quam de clariſſimis populi Bohemici rebus geſtis quum omni cura, tum etiam opera ſcripturus ſum, ſicut humana integritas & hiſtorica fides poſtulat. Hiſtoria enim talis res eſt, in qua pene ſempiternus hominum ſermo uiget, aut memoria ſeculorum omnium manet, aut clari uiri ſuis ampliſſimis rebus geſtis, uel potius diuinis uirtutibus immortali-

tatem

tatem mirabiliter aſſequuntur. Tantum ergo ueſtræ reipublicæ decus ſumma cum admiratione adiungam, ut ampliſſimo honori ueſtro nullum neq; officiũ, neq; ſtudium meum agnoſcatis deeſſe, ne perpetuo quidem. Si quid erit, in quo me uobis inſeruire neceſſe ſit, nunq̃ defuturus ſum. Hoc quidem uobis me gratiſſimum eſſe facturum arbitror. Valete.

VALENTINVS POLIdamus Doctori Henrico Stromer Aurbachio. S. D. P.

GRatiſſima mihi tua colloquia fuerunt, ex quibus ſuauiſſimam amicitiam tuam erga me optime cognoui. Omnino autem tua probatiſſima ſtudia mihi cordi mirabiliter ſũt, quę ampla & magna artis medicæ nõ dico ornamẽta, ſed ſuffragia, eaq; ſunt corporibus ægris quàm certiſſima, quæ moleſtiam

morborum propulsant, atq; cum eruditis uiris summa tibi consuetudo est multis eorum colloquijs, & tuis mutuis constituta, colunt te maiorem in modum, uel tuæ humanitatis, uel doctrinæ causa, ut eos amplissimis dotibus ingenij tui, quod plurimum ualet, esse ornatos summam operam naues. Voluntte, quum studiosissimus medicus cognitus sis, etiam expertissimum existimari. Cum optimis artibus tibi summa uigilantia est, quibus ornas gymnasium Lipsense, ornas discipulos medicinæ. Hoc omnibus cultoribus liberalis doctrinæ arbitror te facere gratissimum, ac incredibili afficior lætitia, quòd ex his saluberrimis studijs literarum te audio magnam capere uoluptatem, quibus ego uehementer etiam atq; etiam delector, quamobrem peto à te, ut constantissimũ atq; optimum fautorem me tuum fore confidas, & credas. Vale.

Valen

VALENTINVS POLIdamus Episcopis, & optimatibus Hungariæ, & consiliarijs regis Ioannis S. D. P.

CVraui quum amicissimas, tum humanissimas literas ad uos dare, sacratissimi præsules, & clarissimi optimates, & prudentissimi consiliarij clementissimi regis Ioannis, quibus non modo summum fauorem erga uos meum, sed etiam manifestissimam beneuolentiam perspicitis. Magnam enim operam dedi, ut publice certiores de ea quidem historia fieretis per literas meas, quę admirabilem Hungaricæ gentis uarietatem, uirtutem, uicissitudinem, pugnas, uictorias, triumphos complectitur. Superioribus eam annis confeci diligentissime, sed nondum propter incredibilem occupationem, & turbulentissima obsta cula ædidi. Item ego uobis grauissimam iniuriam mihi à Cassouiensibus & cōsu

 libus

libus & ciuibus illatam magnopere conqueror, quoniam me summa eorum iniquitas, uel potius acerbissimus furor anxit, qui impij atq; scelerati regum & nationis Hungaricæ proditores me spoliarunt, fortunas abstulerunt, & innocentem in carcerem iniecerunt. Quamobrem uos maximopere non hortor solũ, sed etiam pro summa mea erga uos beneuolentia obsecro atq; obtestor, ut potissimum cum sapientissimo rege Ioanne mihi pro uestra prudentia, & clementia opem feratis, deniq; ob iustissimam causam efficiatis resarciendam iacturam meam, ac simul unius iniuriæ me scitote omnem meam spem, omnem fidem, omne confugium collocasse in summa uestra prudentia, atq; singulari patrocinio. Quod si id feceritis, quod uos rogo & hortor, illam quidem historiam de nostris temporibus Hungaricarum rerum gestarum ad uestram memoriam à me honorificentissime scriptam propediem

lege-

legetis, & laudem immortalem, & summum honorem adipiscemini. Curate ergo potissimum, ut quàm citissime certior per uestras literas fiam de hisce rebus. Valete.

VALENTINVS POLIDAMUS Ioanni mitißimo regi Hungariæ S. D. P.

PAratissimũ maiestati tuæ studium quidem meum, summamq; operam, omnibus uirtutibus ornatissime Rex, non modo ad sacratissimum nomen tuum illustrandum, sed etiam ad amplificandum, quũ in grauissima, tum dignissima ea historia polliceor, quæ de amplissimis rebus Hungaricis huius temporis conficitur à me diligenter, ac memoriæ proditur diligentissime, quas posteritas per omnem ætatem admirabitur. Publicum autem mihi multis & magnis de causis negotium est, quod, ut

possum, diligentissime ad benignissimam maiestatem tuam defero, propterea quòd maximum Cassouiensium cõsulum sum latrocinium passus, de quibus conqueror sceleratam iniuriam, & grauissimum crimen. Nam me propter te in atrocissimum carcerem culpa uacantem iniecerunt, nec nõ omnem rem, atque fortunas abstulerunt, ac rapacissime inter se diuiserunt. Itaque nec ulla occasio, nec causa mihi deest, propter quã perfidiam eorum, proditionem, scelera, magnopere codicibus nostris & scribo & noto ad sempiternum dedecus ciuitatis, & sceleris memoriam. Nam magna eorum fraus, magna iniquitas contra me comperta est, qui magno immanitatis ardore fortunas meas rapuerũt. Quapropter omne auxilium meum in admirabili tua iustitia positum est, ac simul à te maiore studio nihil petere conor, & tu nihil mihi gratius facere potes, quàm ut omni tua cura, omni studio consules
Casso-

Caſſouienſes ad ſarciendas opes compellas, tantum etiam enitaris, ut potentia, conſilio, clementia tua nunquam mihi deſis. Conare & cura redimendas fortunas meas, captiuum me cogita propter tuam maieſtatem fuiſſe, Audi querelam meam, ea para, meditare, effice, quæ tantum in eo Rege prædito pietate, iuſtitia, prudentia poſſunt eſſe, & debent, qui innocentiam afflictam & oppreſſam à ſceleratiſſimis conſulibus, ac perditiſſimis ciuibus in ueram ſatisfactionem atque reſarciendam iniuriam uindicaturus ſit. Omnem enim iacturam & rem tui unius ſuffragio poſſe me recuperare, quum ſpero, tum etiam confido, & abs te, quantum tua fert bonitas, peto quæſoque, ut pro ſingulari tua erga literatos uiros beneuolentia ad recuperandas fortunas me adiuues, & prudentia tua protegas atque tueare. Quòd ſi admiranda mihi tua iuſtitia, clementia, manſuetudine, uirtute opem tuleris, omnibus in rebus me fore

in tua uoluntate tibi polliceor, ac plane recipio, quę ad mirificam tuam gloriam, quæ ad amplissimum honorem, quæ ad honestissimum ueræ immortalitatis fructum pertinent. Quare pro uiribus ingenij, quod sentio q̃ sit exiguum, conficiam eã tuæ maiestati historiam, quæ summam uoluptatem tibi optimis sententijs, omnibus dictis, ac factis afferet. Omnino mihi gratissimum feceris, si de hac petitione per tabellarium præsentem certior fiam literis tuis. Nempe iustissimis de causis arbitror meas preces incredibile apud tuam maiestatem pondus habituras, Tu uero pro tua singulari prudentia, & incredibili clemẽtia, quod honorificentissimum sit, ages. Vale.

VALENTINVS POLIDAMUS Ioanni Dziaduiszkij præposito Calisiensi & Archidiacono wladislauiensi

S. D. P.

DIscrucior animo mi Ioannes, uereq; discrucior, quum & adeo as-

Pere,

pere, & acerbe ſum perturbatus, ut non me ad te lachrymę ſinant ſcribere, ita etiam uehementer meam uitam carcer torquet, atq; ita frangit, ut nulla res me ad alacritatem animi modo poſſit extollere. Legi tuas literas lætior, quàm mea captiuitas ferebat, Ab acerbiſſima enim ira Caſſouienſium torqueor crudeliſſime, ita prorſus, ut omnis malitiæ nullo furore crudelius. Nam & propter immanitatem eorum & improbitatem in diuturno carcere, magis ac magis detineor. Prorſus procraſtinatam meam liberationem uides, uides autem ferè quotidie, Paratiſſimam mihi fraudem aduerſarij plane moliuntur ſine ulla exceptione aut latrocinij, aut facinoris, aut flagitij. Sunt mihi notiſſimæ nebulorũ iniquitates in omni genere & conciliabulorum, & paricidiorum nephandorum, & audacia, & libido, & fraudatio, & amentia, & ferocitas, etiam ſuperbia & corporis & animi præſto eſt, & patet & magnis

factis, & singulis dictis. Itaq; tuo tabellario omnia constituta, confirmata, certa & rata, quæ ad liberationem & salutem meam pertinent, patefeci studiose, diligenterq;. Hoc enim mihi ut fratri, uelim credas, quod nihil fortuna calamitosissima, turbulentissima, teterrima acerbius, ac miserius uidetur mihi accidere potuisse, quod deniq; mecum omnia tristant. Nullo enim publico suffragio uitam cõsolor, quo etiam caret acerba & misera captiuitas, & hostes uel potius tyrannos Cassouienses iudico temere insanire contra me, qui publicam turpitudinem proprio conciliabulo agunt, deniq; affabros & blandos homines, sed perniciosissimos consules, ciuesq; facinorosissimos esse comperio, & cognosco. Tortorem autem habemus Mihaelem iudicem crudelitatis studiosissimum, sanguinis innocentis cupidum, qui ualet apud ciues non minus authoritate, q̃ gratia. Turpis autem Ioannes proconsul mihi

hi plane minatur. qui maximus non mo-
do aperte, sed etiam clam ita mihi aduer-
sarius est, ut prorsus ad neminem literas
exarare audeam. Quod quidem scire cu
pis, qua quisque in me male uolẽtia sit & fe
rocitate, difficile est calamitosissimam ui
tam & incredibilem miseriam meam de
carceribus declarare. Illud te præterire
non arbitror, quod semper uisum est
occultius agendum, neque ullo modo di-
uulgandum propter calliditatem, & ma
leuolentiam iratorum consulum & su-
perborum & insolentium, quòd non
modo tu consiliarius & fautor, sed mag
nus etiam amicus & defensor captiuita-
ti opituleris. Porro sapientissimi est ho-
minis non tam commodare calamitati-
bus amicorum, quàm succurrere, Ea tan-
tummodo consolatione egeo, quæ gra-
tissima est tristitiæ, etsi satis ex optimis
fautoribus cognoram, quæ immanitas
ciuium, quod odium in homines litera
tos esset, tamen in carceribus meis liqui-
dius

dius de toto aduersariorum furore iudicaui, propter quos furibundos hostes ab optimis artibus, studijsq́ꝫ, quæ quondam colui, facinorosissime abalienatus sum, quod quidem sic doleo, ut nullam quũ ex ingenio meo, assiduoq́ꝫ studio, tũ ex politioribus literis, & artibus medicis uoluptatem caperem, in quibus me scis semper esse uersatum. Quamobrem hominem te literatum & benignum, & sapientem, ut calamitatem meam consoleris, etiam atqꝫ etiã rogo, & prorsus incredibile capio tædium, ut homini tristissimo mihi suauissima affinitatis familiaritas sit absens diutius etiam, qꝫ uellem, cũ charissimis quoqꝫ fratribus non iampridem apparet aliquod mihi commertiũ, quam ego præsentiam sancte colendam puto. Nam Cassouienses, qui contra doctos uiros sęuiunt, causa meæ captiuitatis maxime gaudere solent. Homines pestilentissimi me afficiunt extremis penè supplicijs, quotidieqꝫ aliquid fit atrocius,

us, & tetrius, quàm ſperabamus. Quam obrem & iam eximia uirtus & ſingularis tua humanitas, ſummusq́ in me amor magnæ mihi conſolationi eſſe debet. Tuæ eſt prudentiæ, tuæ probitatis, quid conſolationis captiuitati feceris, perpendere, quid conſulueris, cogitare, miſerere calamitati, ſubueni iniuriæ, grauiſſimi conſilij plus ſemper captiuitati dediſti, quàm neglexiſti, quæ propediem per te maximum innocentiæ adiutorem, priſtinæ conſuetudinis fautorem, omnibus in officijs & rebus patronū mihi amiciſſimum, fideliſſimumq́ omnino reuiuiſcat, atq́ recreetur. Homo prudentiſſimus Conradus noſter uicinus perhumaniter ad me ſcripſit, te mihi paratiſſimum præſidium adminiſtrare, hæc beneuolentia tua multum mihi grata eſt, eaq́ te uti mirifice gaudeo, tu me magnopere hortaris, ut fortem animum habeam, quem ſemper habui. Ad eas enim adhortationes, quibus inter nos ampliſſima

ſima charitate ſumus, iucundſſimis officijs, incredibili beneuolentia coniuncti, iampridem meę liberationis magna ſpes acceſſit, eaq́ꝫ effecit, ut uniuerſum conatum & apparatum in magnũ gaudium conferrem. Vale. Ex carcere Caſſouienſi.

VALENTINVS POLIDAmus Georgio Anthonſino
S. D. P.

ATrociter mi Georgi Caſſouienſes meas fortunas diripiunt, meamq́ꝫ uitam in carceribus cruciant. Id enim mihi eſt acerbum, id miſerum omnibus modis, quod tibi ſcripſeram quibusdam literis, quum præſertim ſapientiſſimis tuis admonitionibus arbitror te ſtudioſiorem in me conſolando fore, q̃ꝫ in aliqua re fuiſſes. Quia ita uehementer lenire uideor tuo conſilio, ita leuare poſſe dolorem meum, ut meo quidem

dem iudicio nihil ad tuã consolationem addi possit. Ex mirifica & opera, & industria tua equidem nihil habui præter commodissimum incitamentum patientiæ. Id potissimum uelim, quid plus mihi consulas, & quid consulturum te putes, facias me q̃ diligentissime certiorem, propterea quod quum optimæ, & gratissimæ adhortationes tuæ satis supérq; consolatæ me sint, quæ summam mihi lætitiam attulerunt. Rursus charitas tua, quam haberes erga me, quamq́; habiturus esses, mihi erat gratissima, eoq; maior erat hæc consolatio, quòd ad redimendam meam captiuitatem accedebat. Itaq; uehementer te non hortor solum mi Georgi, sed plane etiam obsecro, quod petij his literis abs te, quibus tu benignissime respondisti, ut tota mente, omniq; studio in liberandã meã captiuitatem incũbas, nihil est, quod tibi maiori ornamẽto, laudiq; esse possit, nec quicq̃ ex omni offitio ac potius charitate humana

humana est laudabilius, aut præstantius quàm de captiuo maleficijs uacante optime mereri. Admirabilis est enim quędam hortatus tui sapientia, amorq́; in me singularis consolationum omnium, ut quidem id accumulatissime & diligentissime faciam, quòd pro summa sapientia, proq́; summo studio non solum, sed etiam pro fortissimo animo iniuriam nequissimorum hominum ferrem, & quocunq; infortunio sperare in Deum optimum maximum deberem. Nihil enim certum, nihil salutare esse putatur, nisi quod à misericordia Dei & datum & missum sit, cuius unum est auxilium contra omnes inimicos maxime necessariũ. Quodcumq; iam à te peto consilium, id polliceris fore, quo neq; mihi salubrius, neq;, ut ego existimo, ubi gloriosius esse quicq; potest, quòd semper prudentissime consilium tuum communicasti mecum, & studiosissime causam meam tutatus es. Potissimum enim consolatio, &

communicatio prudentiæ tuæ tali tempore quasi quędam admonitio ſolet eſſe ſuffragij, uel potius quum rogatio, tum efflagitatio ad leuandam triſtitiam uel tormenti, uel carceris. Quum uero ea tua ſit diligentia, induſtria, humanitas, beneuolentia erga me, talem charitatem perlibenter amplector. His enim turbulentiſſimis caſibus uitæ quicquid conſulueris, id erit totum & proprium tuum. Incredibilis eſt omnium conſulum, exceptis probis uiris, furor aduerſus me. Magna ſpes in te eſt, & in tuo conſilio magna conſolatio. Quare tu ſi unice diligis me, hanc liberandam captiuitatem maturabis, quæ maximos luctus diuturnitate parit. Omnia mihi ut tempeſtiua ſint, uelim facias. Quicquid tecum decreueris, id neq; differas ad conſolandũ, neq; ad leuandam fortunam meam. Si ſapientiſſimis tuis conſilijs & omni ſtudio me captiuum in carcere iuueris, te mihi adiutorem fidelem, ſin id neceſſe

m eſt,

est, quod cupio, etiam fidelissimum uidebo. Vale. Ex carcere Cassouiensi.

VALENTINVS POLIDAmus Ioanni de Lasco, Præposito Gnenensi S. D. P.

CAssouienses ciues tyranni crudelissimi, homines omnium maleuolentissimi contra diuinam & humanam iustitiam nephariam mihi iniuriam intulerunt, quum molirentur me per nephas atrocissime & iniquissime carceribus suis deuinctum esse. Omnis enim crudelitas latrocinandi, uel deprędandi in Cassouiensibus summa est, si unquam in ullo perfido latrone fuit. Quamobrem te unum rogo ex meis amicissimis, atque intimis maxime necessarium adiutorem, & magnis meis calamitatibus consulentem uirum, & prope omnium, qui mihi aliquid suppeditare uidentur gratissimũ, ut molestissimam captiuitatem meam ab

immenſo,& perpetuo furore liberes, ut lætitiæ conſentiant exitus, tua ſunt hæc offitia, tua humanitas, à te hoc calamitas mea, uel omnes potius męrores non expectant ſolum, ſed etiam poſtulant. Tametſi quum hortatione non egeas, ut ſpero & confido, tantę tamen familiaritatis inter te, & me non obliuiſcere quantam ampliſſimo ſtudio, ſummo beneficio omni pietate colendam cenſeo. Nō utar longiore hortatione erga te, quum illud facias, quod tuum eſt, ut mihi omnia tua officia, ſtudia, curas, conſilia pollicearis, quæ ad meam ſalutem & liberationem pertinent. Quamobrem per tuū tabellarium ſic me mones, ut fratrem, ſic faues, ut filio, ſic oras, ut & pro uita, & amiciſſimê, quòd præſertim ad immenſam miſericordiam Dei immortalis, quam mirifice calamitas, neceſſitas, innocentia mea poſtulat, non inuitus confugiam, & quum maximum ex pietate eius, diuinoq́ auxilio conſolationem, tum

lætiſſimam ex ineffabili bonitate liberati onem ſim capturus. Vale. Ex carcere Caſſouienſi.

VALENTINVS POLIDAmus Ioanni Zeidlero ſcribæ Glogouienſi S. D. P.

IN Caſſouienſi carcere tanta mihi calamitas, anxietasq́ eſt, ut nulla maior dici poſſit. Nam & triſtibus eius tenebris, & ſpurco fœtore plurimũ oppreſſus ſum, quòd hoc turbulentiſſimo, & miſerrimo tempore nihil aut conſolandi, aut iuuandi mei cauſa ſcribere pro ſuauiſſima ad te amicitia poſſum, aut per impudentiſſimos, aut intemperatiſſimos inimicos maiorem in modum angor, non ſolum à defectione potus, ſed etiam ab omni alimonia ſublata. Sic ſemper triſtor, ut nullo ſupplicio uehementius plorarem. Non opto me diutius uiuere, nec plura ſcribere præ lachrymis

mis possum, quòd mihi necesse sit, quum singularem dulcedinem, tum amissas fortunas, quibuscunque modis possum, deflere, ut uidit tabellarius tuus. Reliquum est igitur, ut propter tuam erga me fidelitatem, humanitatem, pietatem optatissimam, acerbę ac miserę captiuitati consilium præbeas, præstesque, & potissimum unus præ omnibus cæteris, nunc ad me consolandum afferas accommodatas rationes, quibus me à perturbationibus coner abducere. Nunc illud mihi persuasissimum est, ut ad summam & immensam clementiam Dei immortalis omne meum confugium, studium, spem, fidem ponam, qui calamitatem & captiuitatem meam consolabitur & tantum me adiuuabit, quantum ad me liberandum necesse sit. Et prorsus uideo & audio, summo cum studio te neque deesse ulla in re, neque unquam defuturum calamitati meæ. Vale. Ex carcere Cracouiensi.

EPISTOLA DE CAPtiuitate ciuitatis Cassouiensis.

VALENTINVS POLIDAmus Doctori medicinæ Francisco Hertgenberger Saganensi S. D. P.

CAssouiēses in calamitosa captiuitate oppressos homines, sceleratissimos omnium esse scribis, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. Tota eorū uita ex iniquo, ex infami, ex crudeli, ex facinoroso, ex nephario latrocinio pendet, qui criminosissima auaritia atq; omni dolo ex sudoribus pauperum locupletati sunt, nullis deniq; inauditis maleficijs, atq; flagitijs uacant. Sed has funestas, nepharias, exitiales iniurias, quæ innocentissimo cuiq; maxime patent, Deus immortalis ultus est. Scribam tibi ulterius de iniquissimo latronum homicidio, qui suis insidijs, sua perfidia innata,

ta, ſuis clancularijs totius uitæ proditio-
nibus tot occiderant innocentes, quot
tibi me piget, & pudet numerare, nec
publicis poſſum literis mandare. Quid
tibi ſcribam immanitatem non modo
uiſu ſceleratam, ſed etiam auditu, quum
impudẽtiſſimi nebulones, paricidæ, ſacri
legi Caſſouienſes tot innocentiſſimos a-
trociſſimis carceribus clam aduenas in-
terfecerant, omnibus ſanctiſſima orna-
mentis templa ſpoliauerant, quid pœnę
innumerabilibus pupillis tribuerant,
quot fraudauerant infœlices, & miſeras
uiduas, quoties uicinorum bona diripu-
erant, quoties pagos incenderant, patri-
os penates, aras, focos euerterant, toti ne
pharium bellum uicinitati indixerant,
omnem ſobolem nobilitatis expulerãt,
pulcherrima domicilia incenderant, ua-
ſtarant Hungariam, multos ſedibus ac
fortunis eiecerant. Veniamus ad alia,
Quis unꝗ proditores Caſſouienſibus
conſulibus maiores aut uidit, aut audi-
 uit,

uit,ut quorum luce clariora aut ſcelera, aut latrocinia patent. Tota quidem Caſſouienſium uita quid habuit præterq̃ perfidiam? Quæ poteſt enim probitas eſſe in ea ciuitate, in qua flagitioſiſſimi, atq; ſuperbiſſimi homines malitia opprimunt omnem orbitatem, & in qua nec uirtus, nec ueritas uim habet ullam, nec iuſtitiæ leges ullæ ſunt, nec ornamenta, nec omnino indicium aliquod, aut ueſtigium bonitatis? Quid amplius paricidas, furiasq; deſcribam? Nempe perpetua ueritas eſt, ut quoquo modo in ſeminibus cauſas eſſe arborum & ſtirpium, ſic in diſſenſionibus Hungaricis calamitoſiſſimi huius belli ſemina Caſſouienſes fuerunt, quia patriæ hoſtes ſunt iudicat. Tu doles illos ciuitate expulſos. Deus optimus maximus ſceleratos ciues puniuit, eos quoq; dedit hoſtibus, malicia huius ciuitatis afflicta eſt, afflixit Deus. Omnia deniq;, quæ ſuis temporibus Caſſouienſes geſſerunt, quid habuerũt,

nisi

nisi proditiones? Si proprie, si uere ratiocinamur, Cassouiensibus admirabilem similitudinē referemus, Vt Troianis Helena, sic Cassouienses consules Hungaris intestini causa belli, causa depopulationis atq; cædis fuerunt, quorum semper scelus in scelere uersatur, & habent nullam partem corporis à turpitudine uacuam, rapaces manus, immensam gulam, mendacem linguam, ad omne facinus immanem audaciam, occultissima homicidia, innumerabilia paricidia, Quid plura? hęc scelera obscuratura nulla unq; est obliuio, quæ cur quidem Deus non uindicasset, quum homicidæ publicarentur, cur non omnes ad unum extirpasset, quum prædones prædicarentur, non consules, cur non superbam, & furiosam gentem humiliasset? Nullum per totam Hungariam facinus extitit, nisi per illos, nullum flagitium sine illis, deniq; illi tyranni multorum hominum neces, illi uexationes, direptionesq; hos-

 pitum,

pitum, & aduenarum incredibiles fuerunt, per quos difficilimis temporibus nostris bellum natum, conflatum, susceptum inter duos Reges fuerat. Quid postea euenit? tota ciuitas propter summam improbitatem, admirabilemq; turpitudinem uitæ capitur. Num spoliantur ciues? num trucidantur? num in carcerem inijciuntur? num iugulantur? nũ ex hac maleficia ciuitate expellunt? quã longissimo temporis interuallo non ciues, sed nati proditores possidebant. Noluit Deus optimus maximus in eadem ciuitate diutius illos esse consules maliciosos, esse iniquos magistratus, esse homicidia innocentium, esse paricidia, esse prædones, quos copiose in Hungarica historia summa cum diligentia scripsi ad sempiternam hominum memoriam. Hæc præsertim mi Francisce tibi rescribenda existimaui, neq; dubito, quin omnem rem atq; causam interitumq; totum Cassouiensiũ ex aliorũ literis melius cognoscas atq; audias. Vale.

Elegiarum libellus
desideratur.

